




**Pia et in verbo Dei fundata assertio, declaratio & confessio D.  
Pauli Eberi Kittenbergensis, pastoris Ecclesiae  
VVitebergeniss, de sacratissima coena Domini nostri Iesu  
Christi**

<https://hdl.handle.net/1874/420906>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>


**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E oct.


176

U.B.U.





E oct.  
178














N. 10. A.

PIA ET IN  
VERBO DEI FVNDA-  
TA ASSERTIO, DECLARA-  
tio & Confessio D. PAULI EBERI  
KITTINGENSIS, Pastoris Ecclesie  
VVitebergensis, de sacratissima  
Cœna Domini nostri IESV  
CHRISTI.

*Ex dono Büchel.*



CVM PRIVILEGIO ILLV-  
strissimi Principis ac Domini, D. AVGV-  
STI Ducis Saxonie Electoris &c.  
ad triennium &c.

EXCVSA VVITEBERGÆ A  
Laurentio Schuuenck.

1 5 6 3.



PIA ET IN

RE FERRE

IN

RE FERRE

RE FERRE

RE FERRE



IN RE FERRE

IN RE FERRE

IN RE FERRE

IN RE FERRE

IN RE FERRE

IN RE FERRE

IN RE FERRE

IN RE FERRE

IN RE FERRE

ILLVSTRISSI  
 MO PRINCIPALI AC  
 DOMINO, DOMINO AL-  
 BERTO Marchioni Brandenburgensi, BO-  
 RVSSIAE, Stetini, Pomerania, Cassubiorum  
 & Vandalorum Duci, Burggrauio Na-  
 ribergensi, & Principi Rugiae  
 &c. Principi ac Domino  
 suo clementissimo :  
 S. P. D.



VLLVM EST  
 dubium, quin hi-  
 storia postremi  
 actus conuersati-  
 onis Domini nos-  
 tri IESV CHRIS-  
 TI super terram,  
 quo se ultro ceu  
 victimam pro peccatis totius generis  
 humani Ierosolymis mactandum ob-  
 tulit, sit imago & pictura eorum, quae  
 Ecclesiae omnibus temporibus eue-  
 nerunt, quam oportuit fieri similem  
 imaginis sponsi sui, praecipue vero eo-  
 rum



EPISTOLA

rum, quæ eidem circa finem mundi paulò ante refuscitationem mortuorum ad iudicium, à quo sine dubio non procul absumus, euentura sunt.

Sicut enim tunc Dominus noster post triennij præclaras conciones, & insignia sanationum & aliorum miraculorum testimonia, quibus magnam partem populi ad se attraxerat, quæ ipsum pro Messia habebat, ipsius doctrinam probabat, eius uirtutes & stupenda facta mirabatur & celebrabat, & illi adhærebat, tandem summorum Sacerdotum machinationibus captus, & discipuli perfidiosa conspiratione cum hostibus proditus, à maxima auditorum parte desertus, magistratui politico, & illi quidam Ethnico traditus, ab Herode illustus, à Pilato in gratiam Pontificum & metu Cæsaris crudeliter crucifixus est:

Ita

## DEDICATORIA.

Ita omnibus temporibus in Ecclesia extiterunt & existent Annæ & Caiphæ, hoc est, Pontifices Epicurei hostes & oppressores ueritatis, Iudæi item transfugæ & proditores, mutabiles & ingrati auditores, Herodes irrisores religionis, Pilati crudeles damnatores innocentium doctorum: Postrema uerò ætate mundi illa eadem euenient manifestius & atrocius, quandoquidem ipsa natura hominū paulatim degenerans magis magisque ruit, & crescente imbecillitate omnium uirium, minus & prospicere & cauere & propulsare insidias & uiolentam impressionem Diaboli potest.

Sed quemadmodum tunc discipuli perseverare in fide & Confessione doctrinæ Christi non potuissent, nisi intercessione & precibus Magistri sui, ad coæternum Patrem sustentati fuissent, ne fracti illo scandalo crucis Christi, & metu suorum periculorum

## EPISTOLA

prorsus deficerent, sicut inquit Christus ad Petrum, Lucæ 22. *Simon, Simon, Ecce Satanas expetiuit vos, ut cribraret sicut triticum, Ego autem ROGAVI PRO TE, ne deficeret Fides tua*: Ita profecto nunc infirmitas humanæ naturæ multò est maior, quàm quæ tantis furoribus Diaboli circa finem mundi rabiosius grassantis resistere possit: nisi filij Dei Domini nostri IESU CHRISTI Pontificis, Regis, & fratris ac sponsi nostri precibus & defensione, aliquæ Ecclesiæ reliquæ seruari nentur.

Quare prodest sæpe repetere memoria historiam passionis Christi, ex qua & commonefactiones plurimas admodum nobis necessarias hoc postremo tempore, & consolationes dulces ac efficaces petere poterimus, ac omnino existimare debemus, ea omnia, quæ illo postremo tempore à  
Christo

## DEDICATORIA.

Christo & Euangelistis, uel de Apostolorum infirmitate, uel ad Apostolos pro excitanda ipsorum cura, uigilantia, fide & mutua dilectione aut ad corrigendam & erigendam ipsorum infirmitatem dicta sunt: de Doctoribus & ad doctores in Ecclesia huius postremæ ætatis mundi dicta esse.

Qualis est illa tristis querela Domini, & additum grauissimum mandatum, cum in tanta sua mœsticia & agone, & suorum discipulorum communi periculo, inueniens ipsos dormientes inquit: *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum? VIGILATE ET ORATE*, ne intretis in tentationem, Et tertio, Offendens eos dormientes: *Dormite nunc & requiescite*, quasi dicat, Venient iam, imò adsunt præforibus pericula & mala, quæ uobis istum ueternum excutient.

## EPISTOLA

Tale est & id, quod Lucas capit. 22. factum fuisse scribit, statim post institutam à Christo sacratissimam Cœnam, & post distributum & acceptum corpus & sanguinē Dominicū, cum inquit : *Facta est autem* & **CONTENTIO** inter eos, quis eorum videretur esse maximus, quod haud dubiè non frustra tam diligenter ab Euangelista descriptum est, sed sicut cæteræ partes illius tristes historiarum miseriarum & ærumnarum venturarum Ecclesiæ significarunt, & quasi pinxerunt : Ita hæc Contentio statim post peractam primam cœnā exorta inter Discipulos, fortassis de hoc ipso disceptantes, quis Apostolorum, ut autoritate maximus & dignissimus, deberet posthac Domini loco Corpus & sanguinem ipsius cæteris distribuere, sicut iussi erant sæpe hoc facere; fuit typus & prænunciatio huius horribilis & perniciosi certaminis, quod mox post repurgatam Euange-

DEDICATORIA.

lij doctrinam, & post ostensum & restitutum integrum & legitimū usum sacro sanctæ Coenæ Domini nostri Iesu Christi exortū est, motum initio ab eo, qui quiduis tentare et turbare malebat, quā Collegæ suo D. Martino Luthero primum & summum locum inter repurgatores doctrinæ cœlestis concedere.

Meritò autem pio hominī legenti illam partem historię, subit admiratio, discipulos Christi ausos fuisse tali tempore, mœsticiæ & periculorum plenissimo, præmonitos à Magistro prius Lucæ 18. iam instare horam, qua futurum erat, ut Filius hominis traderet̃ tur gentibus, illuderetur, contumelijs afficeretur, conspueretur & flagellatus occideretur: præmonitos item de uno ex cœtu duodecim Apostolorum, prodituro Dominum, & de ipsorum dispersione, fuga & periculis instantib. ex propinquo, hos inquam ausos fuisse in conspectu Magistri sui

## EPISTOLA

mœsti, & cum morte iam luctantis,  
 inter sese de eminentia contendere &  
 rixari, alio aliud priuilegium & cau-  
 sam allegante, cur ipse sese cæteris præ-  
 ferendum putaret, & non facile alijs  
 cedente (Hoc enim græca uox in Lu-  
 ca φιλονεικία, significat) donec à Chri-  
 sto compescuntur blanda tamen obs-  
 iurgatione, qua discrimen ostenditur  
 inter Politicam potestatem, et Ministe-  
 rium, et præcipitur Verbi ministris, ut  
 is, qui donis, priuilegijs, authoritate,  
 eruditione, dignitate, facultate bene-  
 faciendi alijs antecellit, aliorum sit mi-  
 nister, hoc est, subiiciat se inferiori-  
 bus & imbecillioribus non modo ad  
 officiorum debitorum præstationem  
 promptam & paratam quouis loco &  
 tempore, Verum etiam ad patienter  
 ferendam Collegarum infirmitatem,  
 morositatem, fatuitatem, ingratitude-  
 nem, & iniurias, communis tranqui-  
 litatis, & fouendi ac ornandi ministe-  
 rij causa,

Sed

## DEDICATORIA

Sed fuit illorum Contentio tamen collocutio quædã, asperiore aliquanto sono, & gestibus fortassis cõmotiunculam aliquam animorum ostendentibus, qualis inter fratres interdum & coniunctissimos accidere solet.

Quis autem sanus nunc intuens hoc triste certamen, quod de sacratissimo Sacramento agitur, instituto ad hũc ipsum finem præter alios, ut esset ceu glutinum coagmentans membra Ecclesiæ, sicut & Paulus inde ratiocinatur, & in tota antiquitate humaniore Mensæ communis usus Conuictores iungebat fœdere quodam sacrosancto, quod qui uiolasset, summi conuictiõis & criminis loco dicebatur ἄλα καὶ τράπεζαν παραβαίνων, Quis inquam non miretur & ex animo doleat ac deploret miseræ Ecclesiæ huius temporis infœlicitatem, cernens tanto animorum impetu, odiorum acerbitate, conuictiorum exquisitorum coaccuratione, damnationũ promptitudine

dine



EPISTOLA

dine & temeritate, & iracundia im-  
 placabili agi hanc controuersiam in  
 conspectu Ecclesiæ, imò in conspectu  
 filij Dei, sine cura imbecillium, sine res-  
 uerentia ministerij, sine cogitatione  
 officij & decori, sine respectu grauiss-  
 marum præceptionum filij Dei, quibus  
 nobis commendat cum ipsius Ec-  
 clesiæ, ut Matris suæ curam, in cruce  
 iamiam patri commendaturus animã,  
 dicens ad discipulum Iohannem:  
**ECCE MATER TVA:**  
 tum mutuam dilectionem & concor-  
 diæ studium, dicens ad discipulos,  
 postquam singulorum pedes ipse Do-  
 minus abluerat: *Vos meo exemplo  
 debetis vnus alterius pedes lauare.  
 Exemplum enim dedi vobis &c.*  
 Item, *Mandatum nouum do vobis, vt  
 diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt  
 & vos diligatis inuicem. In hoc cog-  
 noscēt omnes, quia discipuli mei estis,  
 si dilectionem habueritis ad inuicem.*

Omni-

DEDICATORIA.

Omniū uero maxime dolendum est, hoc dissidiū inualescere inter eos, qui in reliquis articulis Fidei consentientes, necessaria & uerbo Dei mandata abiectione impiæ doctrinæ & tetrorum abusu, Romanum Pontificem et cæteros Episcopos contra se communiter irritarunt, & nunc tanta animorum exulceratione & conatū mutuæ oppressionis, non modo gratū spectaculum communibus hostibus suis Pontificijs exhibent, Verum etiā am opportunitatem præbent, & spem faciunt tutius utrosq; deinceps uī & armis inuadendi, & Euangelij doctrinam extinguendi, id quod Pontificios conari hoc tempore nemo sanus non intelligit.

Oportebat igitur nunc, ut cum maxime, coniunctis animis, uoluntatibus, studijs, conatibus, & præcipue precibus, paratos & attentos esse in cauendas insidias, & auertendam uim communiter utrisq; intentatam, & si  
non

## EPISTOLA

non aliæ grauissimæ causæ possent flex-  
 tere nos ad coniunctionem: saltem  
 periculorum certissimorum & proxime  
 imminantium societas nos mouere  
 debebat, ut depositis odijs, de causâ  
 aliquando ipsa placida colloquutione  
 conueniremus, & hoc pacto cū com-  
 munia pericula declinarem, tum  
 Euangelij cursum nostra pia confes-  
 sione promoueremus; quem impedi-  
 ri, imò in summum discrimen his im-  
 placabilibus concertationibus addu-  
 ci, quis est pietatis amans, qui nō cum  
 dolore acerbissimo uideat, & profusis  
 lachrymis deploret:

Sed fuit illa discipulorum Christi  
 tunc modestia & sanabilitas & reue-  
 rentia erga suum Magistrum, ut aus-  
 dita reprehensione & commonefa-  
 ctione de humilitate & mutua celsio-  
 ne & obsecundatione, acquiescerent,  
 & ab exorta obiter contentione desi-  
 stentes, Dominum suum euntem in  
 hortum, ubi capiendus erat, unanimi-  
 ter

DEDICATORIA.

ter comitarentur, & eius inestitia serio afficerentur, sicut Lucas testatur inquit: *Inuenit eos dormientes præ*  
**TRISTICIA.**

At nunc, cum non minus periclitetur Christus in suis ministris & pijs auditoribus, in quos iam quasi in desertas & defensore ac custode destitutas ouiculas ceu Lupi famelici uel leones rugientes irruituri, dentibus frendent, & pedibus spargendo arenam unguis acuunt Pontificij cum suis satellitibus, nulla apud concertantes ualet uel reuerentia uel autoritas, uel commonefactio, uel obtestatio cuiusquam, nulla apud eos obtineri uia aut iniri ratio potest ad coerceda tam saeva certamina, quibus hoc tandem consequimur, ut nos ipsos exarmemus, & hac disiunctione implacabili et in diuersissimas sententias distractione, & mutua desertione, facilem aditum ad opprimendos utrosq; Pontificijs

## EPISTOLA

cijs præbeamus, qui sanè læti hanc tantam occasionem arripiunt, & cum multorū tristi interitu usurpant cum alibi, tum in Gallijs, ubi eos, qui Euāgelij doctrinam amplexi sunt, opportunitate solius huius certaminis adorantur, & crudelibus modis extinguere conantur, ea spe, quòd nulla sint auxilia habituri ab ijs, cum quibus in doctrina de cœna Domini non consentiunt.

Is primus gradus est sæuiciæ, & periclitatio seu tentatio fortunæ & successuum, qui si erunt (quod Deus auertat) ex animi ipsorum sententiâ, eandem Aleam ludent uel ipsi illi, uel cum ipsis coniuncti alij Monarchæ et Episcopi in alijs quoq; regnis & regionibus, donec oppressis Sacramentarijs, (ut nominant) adorantur postea eos, qui Augustinæ Confessioni adherent, quorum potentia sola tanta esse non uidetur, ut tot Regibus & Episcopis coniunctis par esse queat.

Hoc

## DEDICATORIA.

Hoc cernere & sentire non uolunt ij, qui nunc tanta acerbitate causam Sacramentariam agunt, ut dum ueram presentiam corporis Christi in Coena asserunt, horribilibus modis simul damnent, et quibuslibet supplicijs quasi dignos iudicent eos, qui a uerborum Christi proprietate longius recedunt, non habito discrimine inter Dogmatis illius audaces Propagatores & propugnatores, & inter credulam multitudinem Auditorum, quae persuasa est eam esse sententiam uerborum Christi credi oportere.

Tales quid faciunt aliud, quam quod miseros homines ardente studio cognoscendi Euangelij doctrinam inductos in eam sententiam, quae Rationi plausibilior est, illa uehementia condemnationum obijciunt Pontificijs laniandos et ustulandos, et rogis ad cremationem ipsorum structis quasi faces admouent.



Muls

## EPISTOLA

Multò erat æquius perpendere  
 occasiones conceptæ illius opinionis  
 nouæ, & cogitare, homines pios in  
 alijs Regnis diuturna fame & siti uera  
 bi diuini laborantes, & gementes sub  
 tristi iugo Pontificiæ Tyrannidis, cura  
 pidissimè exhaustisse primum quemq;  
 à quocunq; porrectum Calicem res  
 purgatæ doctrinæ Euangelij, eius in  
 quam doctrinæ, quam nos in Ger  
 mania, iam à multis annis saturi &  
 securi, uilem plæricq; habemus, et cum  
 fastidio ac nausea in ore potius & gula,  
 q̄ in corde gerentes, eructamus,  
 et quasi euominus inani et sterili glo  
 riatione uerborum, & disputationum  
 clamoriarum inter pocula concerta  
 tione; atq; ita facile fieri potuisse, ut in  
 illa ardenti siti purioris doctrinæ, ali  
 quid fecis aspersæ ex Rationis huma  
 næ lacu, simul cum uera doctrina  
 Euangelij imbiberent, quam persuasi  
 à suis doctoribus, esse ueritatem, &  
 nunc longi temporis usu in ea senten  
 tia

## DEDICATORIA.

tia confirmati, non ita subito dediscere et deponere possint.

Quare commiseratione potius, & ardentis precatationis ad Deum intercessione, quam hac tam uehementi condemnatione & eiectione ex societate Ecclesiæ & Confessionis, digni erant: & non acerbitati suppliciorum subiiciendi, sed placida & fraterna institutione ad syncerum uerborum Christi intellectum reducendi, & nostro Corpori adiungendi erant, sicut Paulus præcipit: *Infirmum in Fide assumite*, Præsertim ij, qui in alijs ferme omnibus articulis nobiscum, imò cum Christo, iuxta consensum Propheticæ & Apostolicæ scripturæ sentiunt, & contra furores Anabaptisticos, Suenckfeldianos, Serueticos, Stancaricos unà nobiscū acerrimè dimicant, et quod præcipuum est, Papiasticam Idolatriam & tetros abusus inuectos contra manifestum uerbū Dei



EPISTOLA

in Ecclesiam, tanto Zelo & constantia reijciunt & detestantur, ut nullum tormentorum & cruciatuum exquisitissimum genus nō malint perferre, nō Viri tantum, sed Mulieres etiam, imo Puellæ, Pueri, Senes, ijçq; ex amplissimis familijs, summis honoribus perfuncti, delicatissime & splendidissime educati & habiti, potius, quàm illos in scriptis Prophetiis & Apostolicis expresse prohibitos cultus comenticios et idolatricos approbare & unà cum alijs celebrare.

Hic me, sat scio, conuicijs incessent & accusabunt aliqui ex ijs, qui non satis putant esse, causæ ueritatem exponere, nisi simul uno uerbo aliter loquentes diris deuoucas, & anathematis fulmine ex Ecclesia pulsos, in desperatorum, & totius Ecclesiæ consensu damnatorum hæreticorū Barabrum proturbes, clamantes me colludere cum Zuuinglianis & Calvinianis, ut uocant, & nimis clementi hac  
acti

## DEDICATORIA.

actione tergiversari, & ipsorum opinionem approbare aut saltem confirmare.

Sint sanè ipsi fortes & acres extirpatores hæreseon, & hanc laudem uehementis & terrifici Zeli sibi totam uendicent: Ego ut eos non probò, qui primi spargentes semen Euangelij in illis Regnis, in quibus Pontificiæ Tyrannidis iugum serò est excussum, non habita ratione, quid suis Auditoribus proponerent, audivissimis cognoscendæ ueritatis, & quiduis cupidè amplexuris, quod initio traderetur, & constantissimè asseruaturis, quod semel cum Euangelij doctrina cum Encomio ueritatis arripuissent, lōgius suos Auditores à proprio intellectu uerborū Christi in institutione Sacramenti usurpatorum abduxerunt, atq; ita reuerentiam huius Sacratissimæ Coenæ aliquo modo minuerunt, & illud semel ortum certamen inter Carolo-

\* 3                      dium

## EPISTOLA

dium & Lutherum confirmarunt & late propagarunt, cum maximo discrimine illorum Regnorum, quæ Euangelij lucem aspicere ceperunt, sicut experientia testatur:

Ita nullo modo aut ratione adduci me patiar, ut ceu nocentissimos Hæreticos damnem, & ex Ecclesiæ societate prorsus eijciendos & anathematis turbine Papistarum mucronibus et flammis obtrudendos esse censeam eos, qui in alijs Regnis & Ecclesijs reliquam Euangelij doctrinam iuxta Prophetarum & Apostolicorum Scriptorum consensum nobiscum profitentes, in hoc articulo sic informati, & à suis Doctoribus persuasi sunt, ut cum impossibile & absurdum uideatur Corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, quod in Cœlo est, & haud dubie humanæ naturæ essentialis proprietates etiamnum post glorificationem ineffabilem

lem

DEDICATORIA.

lem retinet, in Cœna, ubicunq; illa iuxta Christi institutionem celebratur, datis & sumptis uisibilibus Elementis, Pane & Vîno, reuera præsens comedendum & bibendum tradi et accipi tam à pijs, quam à securis & hypocritis in Ecclesia: Credant in Cœna sumi ore tantum Panem & Vinum Symbola absentis corporis, quod tamen Fide unâ cum suis beneficijs uirtute & efficacia accipi, atq; ita spiritaliter tantum manducari & hauriri debeat ac possit, eo sumptionis modo, de quo Christus Iohannis sexto loquitur.

Hos inquam etiamsi iudico perperam sentire, & nos ab ipsis dissentire palam profiteor, sicut & causas huius mei iudicij, pijs, ut spero probatas, in hoc tenui scripto indicavi: & summopere atq; intimis cordis mei uotis & gemitibus opto, ipsosq; oro et hortor, ut malint Christo communi liberatori nostro, Authori huius

\* 4

imper

EPISTOLA

imperfcrutabilis Myfterij etiam in hoc articulo, ſicut in alijs faciunt, laudantem ueritatis et omnipotentia tribu- entes, nobiſcum reuerenter credere & obedire, ſicut promittit & praecipit ipſe tantus Doctor, & tam benignus ac potens Dominus : quam uel ſuae Rationis ductum uel illorum perſuaſiones ſequi, qui uerbis Chriſti eatenus autoritatem derogant, quatenus cum luce naturali non congruunt, quod male & cum periculo ſummo fieri, in exordio ſcripti huius oſtenſum eſt :

Tamen nec uolo nec ſalua pietate poſſum eſſe ὁμολογῶ & aſtipulator ijs, qui tanta uehementia hos aliter ſentientes impugnant, ut ſauiſſima etiam ſupplicia, quibus non ob hanc tantum de Coena ſententiam hi conſtantes Martyres ſubiiciuntur, non admodum improbare uideantur: quod ego priuſquam faciam, opto mihi terram dehifcere potius, cum non

## DEDICATORIA.

non dubitem, Sanguinem illorum sic interfectorum, clamare de terra in coelū, sicut Abeli sanguinem, expetentem & certo impetraturum tandem aliquando diuinam uindictam in Patratōres et Approbatōres tantæ scūi-  
cia.

Hanc ego crudelitatem Papisticæ factiōnis nullo modo confirmare uolo hoc meo scripto, et potius unā cum ipsis patientibus hanc tantam & inauditam persecutionem, filiū Dei Dominum nostrū Iesum Christum, contritorem Capitis serpentini, & uictorem Mundi uniuersi, & destructorem Portarum infernalium, quæ unquā ausæ sunt Ecclesiam opprimere, & ueritatem doctrinæ ipsius extinguere conari, ardentibus & assiduis precibus inuocabo, Ut hanc Pontificiorum crudelitatem ipse coherceat & compescat, & sano ac resurgato Verbo suo ipse amplissimas portas in omnibus Regnis patefaciat,

\* 5 at, quan

EPISTOLA

at, quantumuis fremant & contra nis-  
 tantur quantum possunt hoc postres-  
 mo mundi tempore omnes diaboli et  
 ab his impulsu Tyranni, & Cœlo ex-  
 pugnationem seriam molientes Gi-  
 gantes in regno Pontificio, qui cum  
 isti suæ immani sæuiciæ nunc in Gal-  
 lia hanc prætexant speciem, quod non  
 sint inimici profitentibus doctrinam  
 Euangelij, sicut ea in Augustana  
 Confessione comprehensa est: sed  
 tollere tantum conari fanaticas opi-  
 niones, & purgare Regnum Gallia  
 uelle à Sacramentarijs & Sectarijs,  
 sicut eos uocant: hoc ipsum per sce-  
 lus confictum mendacium, & falsissi-  
 mum astutissimè excogitatum præ-  
 textum Pontificiorum puniet haud  
 dubiè Deus, cum, ut dictum est, illa  
 credula turbæ facilitas & persuasio,  
 quam in irradiatione prima lucis Eu-  
 angelicæ præ siti & auiditate cogno-  
 scendæ ueritatis, semel imbibit, nõ me-  
 reatur tantam suppliciorum immani-

DEDICATORIA.

tatem, sicut neq; in his regionibus, neq; ullis alijs Ecclesijs, ubi sanior doctrina recepta, et magno studio iuxta consensum in Augustana Confessione comprehensum, defensa est, etiam Lutheri ipso uiuente, acerrimo Sectarum insectatore et repressore, hæc laxior opinio remouens Corpus CHRISTI ex Cœna, Capitalibus pœnis ullis, aut ereptione facultatum, taceo tanta crudelitate uel immanitate potius suppliciorum coercita est: Sed sicubi quis fuit, qui eam publicè profiteri & spargere contumaciter & pertinaciter cum scandalo imbecillium non desineret, Is iussus est solum uertere, & alio in loco suam opinionem profiteri, si quidem eam clam secum habere & occultare non posset.

Sed nemo non uidet falsissimè hoc à Pontificijs illi sanguinario



EPISTOLA

nario suo conatui prætendi, quos constat hoc agere, ut uniuersam doctrinam Euangelij, qua et Missarum nondinationes, & horribiles profanationes Cœnæ Dominicæ, cultus Statuarum, inuocatio mortuorum Sanctorum, commenticium Purgatorum, impurus Cœlibatus Clericorū, impia uota Monachorum, Carnificiæ conscientiarum in impositione intolerabilium onerum, & prohibitione ciborū, emunctiones immanis pecuniæ, & tota deniq; Tyrannis & impij cultus Antichristi patefiunt, arguuntur & damnantur, semel ijs extorqueant, & uniuersum Chaos impietatis suæ miseris subditis per uim & atrocitatem suppliciorum denuo obrudant, id quod diu in Germania quoq; uarijs artibus & tentatis diuersis uijis perficere conati sunt, & denuo molituri sunt, si (quod clementissimus & potentissimus Emanuel noster, & Michael Filius Dei Dominus noster

DEDICATORIA.

noſter IESVS CHRISTVS  
 omen auertat, & conatum impediāt  
 ac frangat) ſui Cainici conſilij & inſti-  
 tuti optatum ſucceſſum in florentiſſi-  
 mo Galliarum Regno experirentur,  
 quantumuis nunc ſe æquiores, imò  
 ſemiconiunctos oſtendant Augu-  
 ſtanae Confeſſionis conſenſum proſi-  
 tentibus Electoribus & Principibus.

Hæc ideo hic exponere initio uo-  
 lui partim ut oſtenderem, me abhor-  
 rere ab illa quorundam uehementia,  
 qui ita præſentiam corporis Chriſti in  
 Cœna defendunt, ut proſus ab Ec-  
 cleſiæ & Fidei uniuerſæ conſortio ex-  
 cludant omnes, qui non eodem mo-  
 do, ſicut ipſi conſueuerunt, de præ-  
 ſentia corporis Chriſti in Cœna ſen-  
 tire & loqui didicerunt: Partim ut  
 me purgarem alteris, qui ægrè feren-  
 tes ſententiam illam, quæ à uerbis  
 Chriſti propriè intellectis diſcedit, à  
 me improbari & refutari, dicent, hoc  
 ſeris

EPISTOLA

scripto me confirmare et augere uos  
 iuisse impiam saeuiciam, quæ in Gal-  
 lijs et alibi exercetur à Pontificijs in  
 eos, qui cum his Ecclesijs nostris de  
 Cœna Domini nō consentiunt, quos  
 ut dixi, cum intelligam ex ipsorum  
 scriptis, nobiscum reliquos ferme  
 omnes doctrinæ cœlestis articulos  
 sincere amplecti, et cum tanta cons-  
 tantia profiteri, ut in eorum Con-  
 fessione etiam honores, dignitates, fa-  
 cultates, Patriam, Sanguinem denique  
 et uitam suam uilia habeant et amit-  
 tant: meritò et ex animo ipsorum ca-  
 lamitatibus afficior, ipsorum salutem  
 Deo assidujs precibus commendo, ip-  
 sorum in hoc Articulo consensum  
 cum his nostris Ecclesijs impetrari  
 posse ardentissimè opto, et à DEO  
 quotidianis precibus flagito, et hoc  
 Scripto imprimis quæro, et non sine  
 magnis causis, aliquando fore spe-  
 ro.

## DEDICATORIA.

Id scriptum, cum uernacula lingua compositum, multis hoc à me flagitantibus, superioribus mensibus in lucem emisissim, rogatusq; essem, etiam Latine conuersum publice edere, ut à pluribus cognosci posset: multis de causis ad tuam Celsitudinem mittere potissimum uolui, Illustrissime Princeps, ac Domine Clementissime, quarum tamen præcipua fuit, ut id subijcerem iudicio Celsitudinis tuæ exacto, & cum ætate iam, tum multiplici rerum usu, ac in primis diligentissima inquisitione ueritatis confirmato, cuius cognoscendæ causa non modo Biblica scripta ita Lectionis assiduitate sibi familiariter nota reddidit Celsitudo tua, ut cum quouis Theologiæ Professore cum de præcipuorum dictorum indicandis locis, tum de eorundem uero intellectu monstrando certare possit, id quod asseuerantes audiui aliquot, qui Illustrissimam Celsitudinem tuam

am

EPISTOLA

am de varijs doctrinæ cœlestis partibus differentem, uel cum alijs colloquentem audiuerunt : Verum etiam magno studio perquisiuit antiquissimorum in Ecclesia scriptorum sententias de præcipuis Fidei articulis, ac præsertim ijs, qui hoc tempore, quo Dei immensa bonitate doctrina Euangelij, Monachorum deterfis sordibus, repurgata est, controuerti ceperunt.

Imò etiam præcipuo studio in hoc laborauit, ut non modo præstantissimorum quorumq; in Germania uirorum, qui laude eruditionis in ullo disciplinarum genere excellere uisi sunt, scripta euolueret ac perlustraret : uerum etiam familiaritatem aliquam Munificentia sua & literarum clementissima inuitatione cum ijs contrahere, & de præcipuis partibus doctrinæ Ecclesiasticæ conferre, & singulorum sententias expetere non dedignaretur, Et orta  
con

## DEDICATORIA.

trouerſia in Eccleſijs ſuæ ditionis, de  
ea maximis cum ſumptibus ſciſcitari  
præcipuarum Eccleſiarum iudicia ad  
explorandam ueritatē non grauare-  
tur, Quod ſtudiū ſi æquale in plurib.  
Principibus Germaniæ fuiſſet, mi-  
nus profectò nunc turbarum & cer-  
taminum in Eccleſijs cerneremus.

Tali igitur Principi & hoc meum  
tenue Scriptū offerre uolui, fretus illa  
ſumma clementia, qua Illuſtriſſima  
Celſitudo tua me quoq; minimum  
inter eos, qui in ſtudijs literarum uer-  
ſati aliquid eruditionis comparare ſibi  
conati ſunt, quo ad illuſtrationem  
gloriæ Dei, ad propagationem neces-  
ſariæ doctrinæ, & ad conſeruationem  
ueritatis, Eccleſiæ & poſteritati ſerui-  
re poſſent ſemel complexa, aliquoties  
es ſua manu clementiſſimè exaratis  
literis alloqui dignata eſt.

Quo igitur poſſum ſubiectiōnis  
& reuerentiæ ſtudio ſupplex oro, ut  
illuſ-

## EPISTOLA

Illustrissima Cellitudo tua hoc impos-  
 litum Scriptum clementer accipiat,  
 et quantum per arduas occupationes  
 licebit perlegat, & pro sua sapientia  
 & pietate me moneat, si quid corre-  
 ctione dignum inueniet, & si in sum-  
 ma congruere uidebitur cum uerbo  
 diuinitus patefacto, & cum doctrina  
 harum Ecclesiarum, quam & Illu-  
 strissima Cellitudo tua professã est  
 hactenus, & in suis Ecclesijs constan-  
 ter docere curauit, illud suo grauissi-  
 mo iudicio, exemplo, & autoritate,  
 quam omnes sani meritò faciunt ma-  
 ximi, & suis & alijs quoq; Ecclesijs et  
 in primis nobilitate, eruditione ac pie-  
 tate præstantibus uiris in uicino Reg-  
 no Poloniæ potentissimo, cuius Ec-  
 clesias etiam certamine de præsentia  
 corporis Christi recens turbari cepisse  
 audimus, commendatum reddere  
 non dedignetur.

Deum æternum Patrem Do-  
 mini nostri IESU CHRISTI  
 toto

## DEDICATORIA.

toto pectore oro, ut Illustrissimam  
 Celsitudinem tuam, in ista uegeta Se-  
 neſta, ad diem 17. Maij huius sexa-  
 gesimi tertij anni inchoaturam quar-  
 tum & septuagesimum ætatis An-  
 num, suo uerbo salutari & Spiritu  
 sancto ita docere, regere, roborare &  
 uiuificare uelit, ut diu integris animi  
 & corporis uiribus amplissimo Du-  
 catui Borussiae præesse possit, eiusq;  
 res & negotia ita disponere, muni-  
 re & confirmare, ut Illustrissimus  
 Princeps Marchio ALBERTVS  
 Fridericus succedens, guber-  
 nationem habeat facilem, tranquil-  
 lam, diuturnam, & toti Genti nobis-  
 sissimæ Borufforum honorificam,  
 fructuosam & salutarem, quem Cel-  
 situdinis tuæ Filium, Idem æternus  
 Deus ad hanc talem successionem  
 cõseruet incolumem, ac prouehat fœ-  
 licissime, & omnibus uirtutibus, do-  
 nis, subsidijs ac neruis idoneis, ac ne-  
 cessarijs Principi ad salutarẽ populorũ



EPISTOLA

rectionem, largissime instruat, ornet  
 ac roboret, Data Vuitebergæ, Anno  
 M. D. LXIII. postridie Idus Mar-  
 tias, quo die Christus IESVS Do-  
 minus ac Saluator noster Lazarum  
 ante quatrimum mortuum, & in se-  
 pulchro cõclusum, potentia uerbi sui  
 in uitam reuocauit, hoc exemplo  
 testatus, se potentem Victorem mor-  
 tis, & Datorem uitæ esse, & omni-  
 bus Credentibus in ipsum eodem  
 modo etiam post consumptionem  
 Corporum redditurum esse uitam  
 æternam, sicut ibidem clarè professus  
 ac pollicitus est Marthæ: *EGO sum*  
*Resurrectio & Vita, qui cre-*  
*dit in me, etiam si mortus*  
*us fuerit, uiuet.*

*Illustrissimæ C. Tuæ*

*subditus*

*Paulus Eberus Kitthingensis,*  
*Pastor Ecclesiæ Vuite-*  
*bergensis.*

AUGUSTINVS  
HIS VERBIS MO-

net Lectorem suorum Scriptorum  
in Præfatione tertij libri  
de Trinitate.

SANÈ cùm in omnibus Literis meis  
non solum pium Lectorem: sed  
etiam liberum Correctorem deside-  
rem: multò maximè in his, ubi ipsa  
magnitudo quæstionis vtinam tam  
multos inuentores habere posset,  
quàm multos contradictores habet.  
Veruntamen sicut Lectorem meum  
Mibi nolo esse deditum: ita Corre-  
ctorem nolo Sibi. Ille (Lector) me  
non amet amplius, quàm Catholicam  
fidem: Ille (Corrector) se non amet  
amplius, quàm Catholicam verita-  
tem. Sicut illi (Lectori) dico: No-  
li meis literis, quasi scripturis Cano-  
nicis inseruire: sed in illis (Canonicis

seu Bibliicis scripturis, ) & quod non  
credebas, cum inueneris, incunctan-  
ter crede: In istis autem (meis scri-  
ptis) quod certum non habebas, nisi  
certum intellexeris, noli firmè reti-  
nere: Ità illi (Correctori) dico: No-  
li meas literas ex tua opinione vel  
contentione: sed ex diuina lectione  
vel inconcussa ratione corrigere. Si  
quid in eis veri comprehenderit,  
existendo non est meum: At intelli-  
gendo & amando, & tuum sit, &  
meum. Si quid autem falsi conuice-  
ris: errando fuerit meum: sed  
iam cauendo, nec tuum sit,  
nec meum  
&c.

PLATE I  
The first figure shows the  
of the first figure. The  
of the first figure. The  
of the first figure. The

PLATE II  
The second figure shows the  
of the second figure. The  
of the second figure. The  
of the second figure. The



The third figure shows the  
of the third figure. The  
of the third figure. The  
of the third figure. The

The fourth figure shows the  
of the fourth figure. The  
of the fourth figure. The  
of the fourth figure. The

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

**PIA ET IN**  
**VERBO DEI FUN-**  
*data Assertio, Declaratio & Con-*  
*fessio D. Pauli Eberi Kitthin-*  
*gensis, de Sacratissima Cæna*  
*Domini nostri IESU*  
**CHRISTI.**

**PRÆFATIO CONTI-**  
*nens præcipuum fundamentum*  
*disputationis de Cæna Do-*  
*mini, de Authoritate*  
*verbi Dei.*



**V** M Dominus  
noster **IESVS**  
**CHRISTVS**  
suos discipulos &  
auditores hortare-

*Luce 18.*

tur ad continuationem precatio-  
nis, confirmaretque hac promissio-  
ne,  
A ne,

ne, quòd Deus illam indefessam  
 orationem sit certò exauditurus,  
 & suam Ecclesiam clamantem &  
 gementem ad ipsum assiduis votis,  
 tandem aliquando vindicaturus  
 & liberaturus: Addit ceu Epi-  
 phonema hanc querelam: Verum  
 tamen putas, quod Filius ho-  
 minis ueniens, inuenturus sit  
 fidem super terram?

Qua tristi exclamatione signi-  
 ficare & præmonere voluit, circa  
 postrema mundi tempora nume-  
 rum eorum, qui die ac nocte ad  
 ipsum clamantes, liberationem Ec-  
 clesie sint petituri, & firma fidu-  
 cia, spe ac patientia in cruce ac sæ-  
 ua persecutione, constanter expe-  
 ctaturi, adeò futurum esse tenuem  
 & exiguum, vt illa paucitas ad  
 innu-

3  
innumerabilem collata multitudi-  
nem impiorum, nullam propemo-  
dum sit habitura rationem nume-  
ri, & multi intuentes tetram con-  
fusionem opinionum & certami-  
num de religione, existimaturi  
sunt, vniuersam fidem, pietatem,  
inuocationem Dei, prorsus super  
terram extinctam esse, sicut dome-  
stici Noe conclusi in arcam pro  
nihilò sunt habiti, præ ingenti  
multitudine reliquorum, qui con-  
temptu omnis religionis efferati,  
& omni genere scelerum polluti,  
iusto eoque terribili iudicio Dei in  
vniuersali diluuiò extincti sunt.

Quia autem fides nititur ver-  
bo Dei, sicut Paulus testatur:  
Fides ex auditu est, auditus verò  
per verbum Christi, Rom. 10. &

A 2 præ



prædictum est, circa finem mundi  
adeò raram & languidam fore fi-  
dem, vt multi eam prorsus subla-  
tam esse iudicaturi sint: simul hoc  
præmonere illa graui querela Chri-  
stus voluit, fore postremis tem-  
poribus, Vt verbum Dei magna  
cum difficultate & labore vix re-  
purgatum, nouis ijsque densissimis  
tenebris denuò inuoluatur, adeoq̃  
multis contemptum & inuisum  
reddatur, vt propter persequen-  
tium rabiem, vix sit locum ali-  
quem in terra tutum habiturum,  
vbi doceri & exaudiri & fructum  
ferre queat.

Et vt maximè in aliquo obs-  
curo angulo adhuc aliquantis per-  
hæserit purior Euangelij doctri-  
na, tamen propter petulantiam &  
audaciam ingeniorum, pro suo iudicio

5

dicio & arbitrio torquentium & variè interpretantium scripturam, adeò veritatem obscuratum iri, vt efficaces errores irrumpentes in Ecclesiam tandem in plurimis incautioribus obruituri & extincturi sint veram fidem, quæ sincero Dei verbo inmititur & incumbit, vnde necesse est miram paucitatem verè credentium in Ecclesia fieri, circa postremum visibilem aduentum Filij Dei Domini nostri Iesu Christi.

Etsi autem hoc vix fieri posse existimant aliqui, vt tanta lux Euangelij repurgati vel extinguatur denuò, vel obscuretur saltem, tamen mirum hoc aut impossibile nequaquam videbitur ijs, qui per ætatem nouerunt, ac ipsi ex-

A 3      perti,

perti, viderunt superioris seculi  
 tenebras horrendas, quas Ponti-  
 fices cumulatis traditionibus hu-  
 manis ita efficaces inuexerunt in  
 Ecclesiam, vt etiamsi in Collegijs,  
 Monasterijs, & alijs templis, le-  
 gerentur & decantarentur aliqua  
 insignia capita Prophetarum &  
 Apostolicorum scriptorum: ta-  
 men homines semel abducti à vero  
 intellectu verbi diuini, & fascina-  
 ti doctrinis hominum, paterentur  
 se deduci ad cultus non modo in  
 verbo Dei non mandatos, verum  
 etiam apertè prohibitos, quales e-  
 rant inuocationes mortuorum ho-  
 minum, adoratio panis circumge-  
 stati, prophanatio & mutilatio  
 Sacratissimæ Cœnæ Dominicæ,  
 Mercatus Missarum, fiducia pro-  
 priorum meritorum, emptiones  
 alieno-

alienorum operum maximis impensis factæ, admiratio & veneratio polluti cœlibatus & falso iactatæ castitatis, carnificina dubitationum, anxietas coactorum in cōfessione enumerare singula peccata, sollicitudo & labor in exequendis operibus Satisfactionum, impostarum ad promerendam integram remissionem peccatorum, & alia innumera, quæ perspicuo verbo Dei palàm aduersabantur, quæ tamen ita mentes hominum totas tunc occupatas & obstrictas religione tenebant, vt inuocatio & fiducia Filij Dei Domini nostri Iesu Christi admodum rara & languida esset.

Si igitur hæc fieri potuerunt illo seculo, vbi, quod omnes sani fatentur, maius & ardentius fuit

*studium pietatis, maior animorum  
 simplicitas & reſtitudo, facilius  
 obſequium in bonis, plus continen-  
 tiæ & ſobrietatis, facilior guber-  
 natio diſciplinæ, maior reuerentia  
 erga leges & ſuperiores omnium  
 ordinum, maior honeſtas & inno-  
 centia morum: Quid cauſæ eſt,  
 cur eadem euenire non poſſe cen-  
 ſeamus in hac delira mundi ſene-  
 cta, in hac deſectiõne & languore  
 omnium virium humanæ naturæ,  
 vbi tanta eſt ingeniorum verſu-  
 tia, iudiciorum prauitas, animo-  
 rum petulantia, & audacia, mo-  
 rum beſtialis feritas, diſciplinæ  
 omnis conculcatio, ſuperiorum  
 contemptus, voluptatum ſitis in-  
 ſatiabilis, & earundem intempe-  
 ſtiua uſurpatio, & omnium rerum  
 optimarum abuſus teterrimus?*

*Habe*

Habemus immensa Dei bo-  
 nitate & misericordia sinceram  
 Euangelij doctrinam de benefi-  
 cijs Filij Dei Domini nostri Iesu  
 Christi, vna cum vero & legiti-  
 mo vsu Sacramentorum, restitua-  
 tam & illustratam per Reueren-  
 dum & Sanctum virum D. Mar-  
 tinum Lutherum, diuinitus ad hoc  
 excitatum, & per ipsius fideles  
 σωτήριος & πασάτας Philippum  
 Melanthonem & alios sanctæ me-  
 moriæ Patres, quorum voce &  
 scriptis eadem doctrina in cer-  
 tum corpus redacta, & latè sparsa  
 & propagata est. Sed cum acer-  
 bissimo dolore cernunt pij, hostem  
 Filij Dei diabolum commodas na-  
 ctum occasiones, in hac tanta de-  
 generatione, languore, feritate,  
 & lethargo præsentis seculi, omnes

vias pertentare, vt fulgentem  
 Euangelij lucem aut crudelitatem  
 suppliciorum & persecutionum  
 opprimat & extinguat, aut cor-  
 ruptelis & deprauationibus genui-  
 ni sensus oscuret, aut quoquo  
 modo ab amore, & studio, & as-  
 siduo vsu illius, homines incautos,  
 & alij friuolis rebus intentos ab-  
 ducat. Scit enim astutissimus  
 Spiritus, edoctus iam amplius  
 quinquies mille & quingentorum  
 annorum experientia, nunquam  
 hunc conatum sibi irritum cadere,  
 quin quotiescunq; mentes homi-  
 num a verbo diuinitus patefacto  
 abduxerit, aut hoc illis suspectum,  
 insuaue, inuisum effecerit, simul  
 verum timorem Dei, veram fidu-  
 ciam & dilectionem Dei, imò ve-  
 ram agnitionem Dei eripiat &

extima

extinguat, & Vmbras tantum  
 illarum virtutum, ac inania no-  
 mina, & iactationem earum, in  
 ipsorum animis relinquat, eosque  
 hoc modo debilitatos & exarma-  
 tos, in sua potestate habeat, & per  
 ludibrium ex errore, idolatria,  
 scelere vno, in aliud, suo arbitra-  
 tu, deuoluere, & tandem perseue-  
 ranter sequentes ipsum sine vlla  
 conuersione, in æternum exitium  
 præcipitare queat.

Illius suæ perniciosæ Artis  
 mox periculum fecit in Paradiso,  
 & cum nostro omnium damno &  
 deploranda miseria efficax speci-  
 men edidit, cum primos homines  
 ac parentes nostros, Adamum &  
 Euam, à Deo auulsos, in suam po-  
 testatem redegit, quod nunquam  
 perficere potuisset, quantumuis  
 potens



potens spiritus , si manifesta vi  
eos adortus fuisset , aut commina-  
tionibus & alijs terribilibus mo-  
dis eos ad defectionem à Dei cul-  
tu compellere conatus fuisset.

Ideo ingreditur hanc mitio-  
rem , faciliorem , & certio-  
rem viam , vt initio per extenuationem  
prohibitionis Creatoris , serium  
mandatum ipsis uile & arbitra-  
rium , deinde etiam suspectum , in-  
uisum , & contemptibile reddat ,  
ita illud interpretando , quasi non  
fuisset illa mens loquentis Creato-  
ris , quam ipsi ex verborum pro-  
pria significatione concepissent ,  
quæ si ita accipi deberent , vt lite-  
ralis sensus moneat , secuturum hoc  
absurdum , Deum iniustum esse ,  
qui huic suæ creaturæ aliam maio-  
rem

rem gloriam & dignitatem per  
 inuidiam subtrahat, ad quam per-  
 uenire possent homines, si neglecta  
 prohibitione Dei, audacter co-  
 mederent sine discrimine, de qua-  
 uis arbore, pro sua libidine. Hoc  
 enim facientibus, euenturum, vt  
 ipsorum oculi tum demum aperian-  
 tur, & menti accedat summa &  
 perfectissima scientia boni & ma-  
 li, quae cognitionis excellentia  
 ipsos Deo Creatori suo exaequa-  
 tura sit, qua dignitate in aeternum  
 carituri sint homines, cum vniuer-  
 sa posteritate sua, si <sup>τοῦ ἁγίου</sup> Ver-  
 borum puerili superstitione insi-  
 stentes, à prohibita arboris fru-  
 ctu, inani metu mortis, non serio  
 praedictae, abstineant.

Cum igitur hac insidiosa in-  
 terpretatione prohibitionis astu-  
 tissi-

tissimus serpens verbum Dei re-  
 mouisset ex conspectu Adæ &  
 Euae, vt pomum arboris interdi-  
 ctæ intuerentur separatum à ver-  
 bo, & iam exæquatum aliarum  
 arborum fructibus, quorum liber  
 esus & vsus ipsis concessus fuerat:  
 facile postea impulit miseros ho-  
 mines, vt assentientes mendacio,  
 & sequentes rationis suæ & sen-  
 suum ductum, quibus imprimis ad-  
 blandiebatur sua bella specie illud  
 prohibitum pomum: contempto  
 interdicto Creatoris sui, & spre-  
 ta seria comminatione, Malum de-  
 ceptum comederent, & hac in-  
 obedientia & defectione à Deo  
 ruerent in mortem, graui com-  
 minatione prædictam, amitterent  
 Deum cum omnibus suis bonis,  
 fierent mancipia mortis & Dia-  
 boli,

boli, in quorum tyrannide, sempiternos afferente cruciatus animæ & corpori, hæssissent cum vniuersa posteritate sua, nisi hoc modo lapsos & damnatos, immensa bonitate sua & misericordia motus Filius Dei, edita promissione, erexisset denuò, & ex medio quasi interitu & faucibus inferorum extraxisset.

Tantam cladem & infinitatem malorum in genus humanum semel inuexit hic immanis hostis Dei, & ἀλάσως, & euerfor generis humani, diabolus, mox post Creationem, hoc vnico Strategemate, quòd primorum hominum mentes & cogitationes auersas à Verbo Dei, traduxit ad id, quod Rationi & exterioribus sensibus  
vide.

videbatur delectabile & conduci-  
bile.

Et quia hic primus conatus  
versuto spiritui ex animi sententia  
semel successerat, usus est deinceps  
semper eodem artificio, quo maxi-  
mam partem generis humani o-  
mnibus temporibus, auersam &  
auulsam à Deo, in æternum exi-  
tium præcipitavit, quando videli-  
cet eis aut vniuersum verbum Dei  
semel eripuit, per crudelitatem  
persecutionum, vel inspirato ani-  
mis securorum hominum contem-  
ptu, fastidio, & odio verbi ex va-  
rijs causis: aut verum ac genui-  
num intellectum verbi interuer-  
tit, per alienas interpretationes,  
partim introductas audacia &  
curiositate Rationis, partim stu-  
dio nouitatis & subtilitatis exco-  
gitatas. Et

Et fuit hoc quidem ei post lapsum multo facilius effectu, in hac corrupta hominum natura, in tanta omnium virium imbecillitate, in tanta caligine & tenebris humane mentis, non satis prouidee et caute, in tanta voluntatis mobilitate & inconstantia, in tanta cordis humani prauitate & confusione erraticum appetituum, cum ei fores & cuniculi semper ferè pateant, per quos possit penetrare in interiores partes inermium & incautorum & profundum stertentium hominum. Quomodo igitur hos in tanta infirmitate non euerteret hic astutus & potens spiritus, si quidem potuit expugnare primorum hominum, nondum adhuc læsorum, mentes, voluntates & corda, fulgentia radio sapientiæ diuine,

B uine,

uina, munita ac roborata cum sua integritate, rectitudine & sinceritate, tum praesidio Spiritus sancti, cuius erant domicilium? Quod quidem quomodo ab ipso perfici potuerit, ignoramus prorsus, & meritò miramur, sed perfectum fuisse, cum magno nostro malo saepe miseri experimur.

Quare ne diu hanc suam artem, cuius faelicem successum semel expertus fuerat, per inertiam & ignauiam hebescere & elanguescere sineret, eandem mox repetit & usurpat, ad euertendos Filios indignè deceptorum & vix erectorum voce & spiritu Filij Dei hominum, Adæ & Euae, quorum primogenitum Cain, in cuius natiuitate mater miserrima, exultans leticia, gloriata fuerat, se  
iam

iam possedisse virum Dominum,  
 hunc inquam primogenitum eo-  
 dem Strategemate percellit, quo  
 Parentes euerterat, vt eum abdu-  
 cat primum à verbo Dei, quod ex  
 Patre audierat, immediate edo-  
 cto à Filio Dei, λόγος æterni Pa-  
 tris, quod Deus velit agnosci &  
 coli per promissum Semen mulie-  
 ris, in quo hæc ipsa promissio erat  
 edita, quod certo tempore esset  
 assumpturus hic concionator Dei  
 humanam naturam, ex matre vir-  
 gine, & subiturus mortem, pro re-  
 conciliatione & redemptione per-  
 diti & damnati generis humani,  
 & per resurrectionem redditurus  
 iusticiam, pacem, vitam æternam  
 omnibus in ipsum credentibus, re-  
 misso & tandem abolito peccato,  
 placata ira Dei, sublato male-



dicto & damnatione legis, victa  
 & prostrata morte & tyrannide  
 diaboli. Ac vt simul & typum  
 haberent conspicuum, significan-  
 tem hanc futuram Seminis promissio-  
 nem mortem, ac Satisfactionem pro  
 peccatis, & Sacramentum, quo  
 suam fidem confirmarent de re-  
 missione peccatorum gratis do-  
 nanda per & propter hoc mulieris  
 Semen, moriturum & resurrectu-  
 rum: iussi erant Parentes, Agnum  
 sine labe maectatum offerre, in quo  
 Sacrificio Deus esset editurus te-  
 stimonium suae praesentiae & cle-  
 mentiae, igne de caelo misso, qui ac-  
 censo rogo victimam consumeret,  
 sicut saepe cum stupore & admira-  
 tione, & singulari confirmatione  
 fidei suae fieri viderunt Adam  
 Eua & liberi.

Cain vero parum reuerens & attentus auditor Paternarum imò diuinarum concionum, diaboli inspiratione abducere se ab hoc patrefacto verbo, & institutis diuinitus cultibus ac ritibus sinit Rationem suam, cui videtur absurdum & iniustum & abominandum, profundere sanguinem, & eripere vitam pecudi innoxie, & vtiliter seruienti humanis vsibus, idq; facere ad hunc finem, vt Deus hac crudelitate indigna hominibus, & destruyente opus Dei, colatur et honore afficiatur. Vt igitur hanc absurditatem vitet & corrigat, offert Deo primitias Frugum, quæ cultura ipsius laboriosa, & Deo benedicente & fœcundante terram, prouenerant, certa spe persuasus, se hac incruenta obla-

tione, multò acceptiorem Deo cultum præstaturum, quàm fratrem Abelum, qui Patris secutus & doctrinam & exemplum, sanguine innocentum ouicularum sese polueret.

Credibile est autem, quòd Abel fratrem suum propter hanc defectiorem à verbo Dei, reprehenderit, & monuerit, vt malit diuinitus patefactam doctrinam Patris, & monstratos ritus retinere, quàm suæ rationis persuasionem sequi.

Sed Cain cum semel conceptæ speculationi plausibili indulgens, ita Rationi suæ totum sese in obsequium quasi captiuum tradidisset, vt eius inuenta, longè verbo Dei anteponeret, tutò se illi naturali

rali luci credere ratus: tandem au-  
 tem diuino testimonio conuictus  
 et pudefactus, cum à fratre Abelo,  
 iam certo de veritate doctrinae &  
 ritus paterni, assiduis commonefa-  
 ctionibus in viam reuocaretur:  
 adeò exarsit inuidia & ira aduer-  
 sus fratrem, vt nactus occasionem  
 & latebras, clàm eum occideret.  
 Ita sanctus ille Hypocrita, cui  
 prius religio & abominabile erat,  
 iuxta Dei ordinationem, inno-  
 centem pecudem maectare, infando  
 parricidio polluit se iusti & sancti  
 viri Fratris sui sanguine, imò  
 etiam verè fit parricida, quodam-  
 modo etiam Parentes ambos occi-  
 dens, quibus hæc iniusta nex san-  
 cti & obsequentis filij, ipsa mor-  
 te, & quouis corporis cruciatu,  
 acerbior erat.

Hæc tanta peccata, secutæ sunt etiam postea horribiles pœnæ, cum Cain exclusus ab Ecclesia Patris, vagus & exul, prorsus deficit à puriore doctrina, & à promissione de Semine, & ruit magis magisq̃ in tetros errores, donec à Trinepote suo Lamech ipse quoq̃ crudeliter occiditur. Eius exemplum imitata soboles & posteritas, excogitat & cumulat ipsa quoq̃ subinde novos idolatricos cultus, exercet præterea tyrannidem, polluit se libidinibus promiscuè, donec propter cumulata scelera sine modo & pœnitentia, diluuiio semel tota aboletur & extinguitur.

Tantum ingentium malorum potest & solet diabolus excitare in genere humano, quando impro-  
uidos

uidos & securos homines paulatim  
 abductos à reuerentia & constan-  
 ti amore Verbi, deducit ad natura-  
 lem lucem et intellectum Rationis,  
 vt eam constituent fide dignam  
 Magistram & interpretem Verbi  
 diuini, quæ & absurda tollat, &  
 ea quæ in verbo Dei traduntur,  
 perceptu facilia & credibilia effi-  
 ciat.

Estq; hæc sine vlla dubitatio-  
 ne scaturigo & fons omnium erro-  
 rum, hæreseon, sectarum, schisma-  
 tum, Idolatricorum cultuum, & o-  
 mnium inde sequentium malorum,  
 imo etiam scelerum atrocium, &  
 scandalorum, uidelicet, Verbum  
 Dei iudicare ex luce Rationis, eiq;  
 non velle prius aut aliter assentiri,  
 credere ac obedire, nisi quatenus  
 illa, quæ verbo Dei docentur, præ-

cipiuntur, aut promittuntur, Rationi humanæ uideantur consentanea, *διωατὰ καὶ κατὰ ἀληπία.*

Hoc ita esse, ut diximus, posset copiosè ostendi, enumeratis præcipuis Sectis hæreticorum, qui fermè omnia illa, quæ de essentia Dei, de tribus coæternis, & per omnia equalibus personis, de admiranda vnione diuersissimarum naturarum, in vnica persona Christi, de ipsius intercessione & merito, quæ de peccato, de Iustificatione, de resurrectione mortuorum ad æternam vitam vel pœnam, & de cognatis articulis fidei in scriptura dicuntur, hanc fermè vnã ob causam, quia cum luce naturali Rationis non congruunt, aliter accipi voluerunt, & quidem ita interpretati sunt, ut à Sapiencia  
humana

humana possent comprehendere & intelligi, quam suam plausibilem & concinnam declarationem, postea conati sunt studiosè conquisitis probationibus, & artificiosè detortis dictis scripturæ confirmare, & incautis hominibus, pro verbo Dei, & indubitata veritate venditare & obtrudere.

Est quidem hoc verissimum, & nullo modo negari potest, Deum naturam rationalem ad suam imaginem conditam, præter alia dona etiam radio suæ sapientiæ ornasse, ut illa luce & intellectu, quam in creatione acceperat homo, posset aliquo modo agnoscere Deum, conditorem suum, & perspicere substantias ac vires aliarum rerum creatarum, quæ ipsa tamen lux & cognitio etiam tunc, in integritate



tegritate virium humanarum, suas metas & limites habuit, nec fuit infinita, nec exæquata immensa sapientiæ Dei Creatoris. Oportuit enim esse & manere in tota æternitate discrimen euidens, inter Creatoris essentiam infinitam, & inter naturam creatam finitam.

Hæc lux autem ideo hominis menti in Creatione indita est, ut aliquo modo posset ex sese Dei essentiam & opera agnoscere, sermones eius percipere & intelligere, & iuxta illos, vires suas, & appetitiones, & actiones omnes, regere, atque ita conditori suo integra & spontanea obedientia seruire, & in usu & exercitatione illius lucis, indies proficere sapientia, et per auctiorem subinde agnitionem

tionem & contemplationem infinitæ bonitatis, potentia & Sapientia Dei, permoueri & rapi in admirationem & celebrationem illorum bonorum, ijsq; semper vberius & propius perfundi ac perfrui.

Sed rursus tamen etiam hoc fateri cogimur, Deum nequaquam ita alligasse sese ad hanc creatam Angelorum & hominum Sapientiam et Rationem, quasi nihil velit aut possit docere, præcipere, facere, ordinare, aliud, quàm quod hæc creata lux in mente Angelica & humana, suo fulgore & noticia comprehendere & exhaurire queat: Sed quia Deus est æterna & infinita Sapientia, integrum sibi hoc reseruasse, vt possit liberrima voluntate aliqua docere, constituere, man-

re, mandare, talia, quorum perfectam cognitionem non caperet Angelicæ & humanæ Rationis finita & contractior Sapiencia, nec perspicere satis posset: *Quomodo? Quare? Ad quid?* Deus omnia illa dixerit, fecerit, præceperit & sanxerit, in quibus omnibus Maiestas Conditoris, infiniti sapientia, bonitate & potentia, postulat, vt Creatura rationalis se Deo suo reuerenter subijciat, & certò statuat, ipsius dicta ex infinita Sapiencia profecta esse, ipsius facta & ordinationes summè bonas, & nobis necessarias esse, ipsius mandata & prohibitiones, immotam & immutabilem iusticiæ suæ normam esse, ideoque illis reuerenter assentiendū, cedendum acquiescendum & obediendū esse.

Hoc

Hoc ut vno atque altero exemplo declarem, consideretur historia Creationis rerum, in qua mox cernemus, Deum aliquid fecisse, quod adeo omnium Angelorum sapientiam excessit, ut credibile sit, huic superbo Spiritui, qui sponte sua postea in diabolum degeneravit, aliquam lapsus sui occasionem esse præbitam, Quando videlicet diuina Maiestas, tot optimarum rerum & excellentissimorum spirituum conditrix, ita sese demittit, & quasi abijcit ad inum centrum machinæ à se conditæ, ubi erat constituta habitatio & sedes primorum hominum, quorum vnus ex limo & puluere terræ formatus fuerat, eius socia verò ex ipsius osse seu Costa, extructa, ut hos, ex tam vili materia conditos  
 homi

homines, singulari modo sibi conpulet, eos hac gloria & encomio ornet, quod ad similitudinem & imaginem Dei facti sint, ad hoc ipsum, ut sint Templum & domicilium Dei, quibus omnes Angeli, ingentia lumina Solis & Lunæ, & fulgentissima Sidera cæli, cum omnibus Elementis, & nascentibus aut degentibus in illis, præcipuè seruiant ad necessitatem, delectationem & conseruationem huius vitæ, qui etiam sint Domini, & proprietarij quasi, & possessores omnium, quæ in terra & aquis degunt, viuunt & nascuntur.

Hoc stupendo & incomprehensibili factò Dei tantopere offenditur superbus Spiritus, cum causas penitiores eius non potest perspi-

perspicere, & nullo verisimili ar-  
 gumento excusare hanc absurdi-  
 tatem, qualem iudicat esse, quod  
 homo repens super terram more  
 vermis, in corpore formato ex lu-  
 to, debeat præferri tot, tam præ-  
 stantibus Angelis, tanta donorum  
 varietate ornatissimis, & ratione  
 spiritualis naturæ, Dei essentiæ  
 proximis, quorum ministerio &  
 excubijs foueri, defendi & iuuari  
 debeat Homo, creatura, vt iudi-  
 cabat, multò ignobilior, & Solus  
 vel saltem præcipuè ferre hunc  
 gloriosissimum titulum, quod sit  
 Imago, et Similitudo, & Peculiū,  
 & Domicilium Dei, cuius causa  
 Deus omnes alias res condiderit  
 & conseruare velit: Hoc inquam  
 absurdissimo factō Dei ita offen-  
 ditur malignus & inuidia iam

C tunc

tunc ardens spiritus, vt accedenti-  
 bus alijs etiam causis, prorsus à  
 Deo deficiat, contumaciter illi se  
 opponat, & vicissim à Deo dese-  
 ratur, & in æternas tenebras abij-  
 ciatur.

Sic recens creato Homini, & in  
 amœnissimum hortum collocato,  
 Deus etiam dat mandatum, quod  
 captum rationis illius superabat,  
 vt videlicet comedat de vniuersis  
 fructibus totius horti, sed absti-  
 neat ab vnius arboris fructibus,  
 cui tribuebat adpellationem Sci-  
 entie boni & mali, addens hanc  
 comminationem, fore, vt quocun-  
 que momento temporis comedisset  
 de fructu arboris illius prohibite,  
 funditus intereat.

Hoc verè mirandum interdi-  
 ctum omnem vim intelligentie  
 primo

primorum hominum excedebat,  
 qui etsi ad imaginem Dei facti, &  
 radio diuinæ Sapientiæ ornati, &  
 omnibus viribus suis adhuc inte-  
 gri erant, tamen causas excogita-  
 re & intelligere penitus non pote-  
 rant: Quare Deus, a deo benignus  
 conditor, à quo tantopere honorati  
 & ornati homines fuerant, quo-  
 rum causa totum Creationis opus  
 susceptum fuisse audierant, quo-  
 rum incolumitati, vtilitati, vo-  
 luptati, omnes res creatæ seruire  
 præcipuè debeant, quorum domi-  
 nio & proprietati vniuersa terra,  
 cum omnibus suis Thesauris, fru-  
 ctibus & animalibus, subiecta e-  
 rat, qui in hanc cultissimam Para-  
 disum pleno & vniuersali Iure  
 vsusfructus collocati fuerant:  
 Quare inquam Deus hanc vni-  
 C 2 cam in



cam in medio Paradisi sitam Arborem exciperet, cuius fructum nefas & exitiosum foret attingere? Vbi haud dubiè serpens Versutus in illa acri, & non breuis temporis disputatione, Rationi illorum talia subiecit: Cur Deus hanc Arborem cum reliquis creauit, & tam gratis visui & gustui pomis decorauit? cur collocauit in medio Paradisi? & non extra fines horti? si eius vsus nullus, vel perniciosus homini esse debebat? Quomodo hæc vna arbor hanc vim habeat, vt scientiam boni & mali intellectui dare vel adimere queat? Quomodo fieri potest, aut etiam iuste fieri potest, vt Homo, diuina auctoritate factus Dominus & vsu fructuarius non modo horti huius, Verum etiam vniuersi orbis terrarum,

rarum, statim morti & æterno exitio obnoxius sit, ubi primum de hoc vnico fructu comederit? Num hic beneficus, & iustus conditor, hanc viliozem & sensuum ac rationis expertem creaturam, pluris faciet, quàm nobilissimam creaturam, Hominem, cuius Causa omnia alia condidit? Num hoc suum peculium & domicilium, propter vnus pomi violationem, destruet, & in æternum exitium abijciet?

Propter hæc & alia absurda, quæ videbantur comitari literalem intellectum verborum Dei, impossibile fuit Rationi humane, quantumuis adhuc incorruptæ & integræ, assequi & peruestigare causas huius prohibitionis diuinæ, vnde etiam damnatus Spiritus,

Et hostis Dei, diabolus, occasio-  
 nem sumpsit, exaggeratione ho-  
 rum absurdorum, homines primos  
 trahendi ad alium verborum in-  
 tellectum, atque ita impulit eos-  
 dem ad contemptum comminatio-  
 nis, Et ad violationem seuerissi-  
 mi præcepti, propter quam miser-  
 rimi homines incurrerunt in hor-  
 rendam iram Et iudicium Dei,  
 in mortem Et exitium æternum,  
 quæ omnia mala euitare potuis-  
 sent, si planis verbis, Et seriæ  
 præmonitioni Conditoris sui, cum  
 debita reuerentia, in simplicitate  
 fidei assentientes, obtemperassent,  
 sicut Et huic et alijs omnibus man-  
 datis Dei, in illa naturæ Et viri-  
 um integritate, perfectè obedire  
 potuissent.

Ex his exemplis intelligi po-  
 test,

test, infinitam & inexhaustam sapientiam Dei, in creationis initio, statim aliqua dixisse & fecisse, quorum modum & causas neque Angelorum, neque Hominum, etiam integrorum, Sapia, sua naturali & fulgentissima luce, quæ haud dubiè est radius diuinæ sapientiæ, percipere & comprehendere penitus potuerit, quæ simpliciter in solo verbo Dei, eiusque plano & simplici intellectu acquiescere, & cum debita subiectione, ut creatura, conditori infinitæ Sapientiæ & potentiæ, reuerenter obedire debuerat.

Quanto verò minus nunc poterimus, secundum omnes causas & circumstantias, vniuersa Dei dicta, facta, statuta & ordina-

tiones, perscrutari & exhaurire,  
 nostræ Rationis luce, postquam illa  
 per fœdum lapsum & inobedi-  
 tiam, proh dolor, adeò corrupta  
 & obscurata est, ut vix exigua  
 scintillula prioris fulgoris & Sa-  
 pientie, quam in creatione accepi-  
 mus, reliqua manserit, quæ qui-  
 dem & in ijs, circa quæ propriè  
 versari, & quæ sua luce compre-  
 hendere posse debebat, qualia sunt  
 quæ sensibus & ratiocinatione na-  
 turali percipi possunt, sepe cali-  
 gat & turpiter errat ac labitur,  
 tantum abest, ut in rebus diuinis  
 aliquid certi ex sese scire aut intel-  
 ligere queat.

Hinc est, quod nunc in hac  
 corruptione virium naturalium,  
 & tanta mentis humanæ caligine,  
 præcipui sermones, promissiones,  
 sanctio-

sanctiones, ordinationes & opera  
 Dei, Rationi nostræ non modo  
 ignota & obscura & ἀκατάληπτα,  
 sunt, verum etiam prorsus absur-  
 da, impossibilia, imò stulta viden-  
 tur. Quale exempli causa est hoc:  
 Quod Deus ex miserrimo & cor-  
 ruptissimo & damnato genere hu-  
 mano, colligat sibi dilectam Eccle-  
 siam ad æternam consuetudinem  
 & societatem bonorum suorum,  
**SOLO VERBO**, prædicato  
 non per Angelos, de cælo missos,  
 Sed per miserrimos homines, in  
 quo patefecit essentiam & volun-  
 tatem suam, & vult per illud ver-  
 bum, non alijs modis, in audien-  
 tium & assentientium animis effi-  
 cax esse ad conuersionem, regene-  
 rationem & æternam Salutem  
 ipsorum, addito Spiritu sancto,

excitante & confirmante assensionem, & accendente fiduciam & alios pios ac Legi Dei congruentes motus. Hoc omnino Rationi absurdum quiddam & contemnendum plane videtur. Vnde extitit Suenkfeldianorum & Enthusiatarum furor, qui Rationis suæ ductum sequentes, verbum vocale, & usum Sacramentorum extenuant, contemnunt, & modo non prorsus abijciunt.

Quod Deus, reuera infensissimus peccatis, iuxta Psalmum 5. homines pollutos teterrimis flagitijs, quales fuerunt Impius Manasses, Idolatra & parricida, Mulier peccatrix inquinatissima & publice infame scortum, Lucae 7. Latro conspersus sæpius cruore  
 inno

innocentum hominum, pendens  
 cum Christo in cruce, Blasphemus,  
 Persecutor & visibilis priorum Chri-  
 sti discipulorum, Saulus, qualem  
 se ipse prædicat, 1. Tim. 1. & alij  
 innumerabiles, recipere velit in  
 gratiam, & absolutos à peccato, à  
 reatu æternæ mortis, à maledicto  
 Legis & damnatione, donare sua  
 iusticia, efficere hæredes æternæ  
 vitæ & regni sui, nihil suorum  
 meritorum aut virtutum aut ul-  
 lam compensationem, sed meras  
 sordes peccatorum atrocium af-  
 ferentes, de quibus tamen serio  
 dolent, & rursus ex Evangelio  
 agnoscunt Filium Dei, Domi-  
 num nostrum Iesum Christum,  
 & firma fide statuunt, se pro-  
 pter ipsius solius intercessionem  
 & meritum accipere remissio-  
 nem



nem omnium suorum quantumuis  
 enormium peccatorum, eaque fi-  
 de sese in paucis erigunt, &  
 in ea perseverant, cum studio no-  
 nae obedientiae, vitante lapsus con-  
 tra conscientiam: Hoc inquam  
 etiam videtur Rationi humanae  
 quiddam impossibile & absurdis-  
 simum esse, quae sua luce naturali,  
 quae est noticia Legis, aliter iudi-  
 care non potest, quam illos solos  
 Deo placere & acceptos esse, qui  
 legi Dei obediunt, & quo plures  
 virtutes afferant, eo propiores &  
 cariores esse Deo, amanti & serio  
 requirenti virtutem, hoc est, con-  
 formitatem cum sua Lege. Ex  
 qua persuasione Legali & Ratio-  
 nali totus Papatus, & Monacho-  
 rum ac Iusticiariorum omnium fi-  
 cta sanctitas, & vanissima arro-  
 gantia

gantia propriae Iusticiae, orta est,  
 contumeliosa in Filium Dei, imò  
 omnem ipsius obedientiam, merita  
 tum, & beneficia, semel, vt prorsus  
 inutilia, obruens, obliterans &  
 sepeliens.

Quàm ridiculum & absurdum  
 videtur Rationi, & sapientibus eius  
 discipulis, quales fuerunt Platon,  
 Aristoteles & similes, quod homo  
 imbecillis, et agnoscens se quoque  
 immundum & reum coram Deo,  
 vocatus ad ministerium Euange  
 lij, vel, in casu necessitatis, qua  
 liscunq; etiam, cuius, ostendenti  
 seriam contritionem suam, & do  
 lorem de commissis peccatis, &  
 fiducia promissionis propositae in  
 Evangelio, & potestatis remit  
 tendi peccata, traditae ab ipso  
 Christo Ecclesiae sponsae suae, pe  
 tenti

tenti absolutionem, possit loco Dei remittere peccata, eumque illa annunciatione remissionis peccatorum eripere ex morte æterna & faucibus inferorum, & liberare ex paucibus allaturis mortem corporis quoque, & hanc absolutionem à peccatis & reatu æterni supplicij, ad eò in cælo quoque efficacem esse, vt à Deo in tota æternitate approbetur & rata habeatur, non aliter, quàm si Deus ipse voce sua de cælo, aut alicuius potentis Angeli ministerio, eam promulgasset aut annunciaisset. Ex quibus Rationis cogitationibus tot obstrepunt anxij conscientij dubitationes, suggerentes pauidæ menti, consternatæ magnitudine aut multitudine peccatorum, multò esse rem fædiorem

& atro

Et atrocioſer quodlibet peccatum, quàm quæ tam facile, à quouis, vnius Verbi enunciacione, poſſit tolli & expurgari.

Sed nimis longum eſſet, enumerare omnia opera & ordinaciones Dei, qualia ſunt: Collectio, gubernatio & deſenſio verè admiranda Eccleſiæ, Conſeruatio miniſterij, conſeruatio & multiplicatio generis humani per coniugium, deſenſio Politiarum, Magistratuum legitimorum, diſcipline, ordinariorum iudiciorum, Legum, Item tragica exitia Tyrannorum, & aliorum ſceleratorum, qui ex Magistratuum manibus ſua vel aſtutia vel Potentia elapſi, tamen ad pœnas tandem mirabiliter patefactis facinoribus re-  
trahun-

trahuntur: Quæ omnia experimur diuinitus fieri, & gubernari in tanta imbecillitate hominum, in tantis furoribus mundi et diabolorum, aduersantium perpetuò diuinis his ordinationibus, in tanta uilitate & contempta specie mediorum & instrumentorum, per quæ ista geruntur & conseruantur, quorum omnium modum & causas si à Ratione humana exigamus, obstupescere eam & obmutescere necesse est, & fateri, illa à se satis inuestigari & comprehendi non posse.

Multo minus lucis habet Ratio in peruestigandis & percipiendis articulis Fidei, qui plerique eius captum superant, & impossibiles esse, imò etiam aliquando stultè tradi & credi videntur, sicut

& Pau

& Paulus prorumpit in eam lo-  
 quendi formam satis duram, vt do-  
 &trina Euangelij, quam prius  
 magnifico titulo ornauit Roma-  
 nis, quòd sit potentia Dei ad salu-  
 tem omni credenti, Et Corinthijs,  
 quòd sit Dei Sapiencia, & odor  
 ad vitam, non vereatur nominare  
**STULTAM** prædicationem,  
 1. Corinth. 1. cum inquit: Nam  
 postquam in Dei Sapiencia  
 non cognouit mundus per Sa-  
 pientiam Deum, placuit Deo  
 per Stulticiã prædicationis sal-  
 uos facere credentes, Quoniam  
 & Iudæi signa petunt, & Græci  
 Sapienciam quærunt, Nos au-  
 tem prædicamus Christum  
 crucifixum, Iudæis quidem  
 scandalum, gentibus autem  
 stulticiam, ipsis autem uocatis,  
 D Iudæis

Iudæis atque Græcis Christum  
 Dei uirtutem & Dei Sapien-  
 tiam. Item, *I. Corinth. 2.* Animas  
 his homo non percipit ea, quæ  
 sunt Spiritus Dei. Stulticia  
 enim est illi, & non potest in-  
 telligere, videlicet, suo naturali  
 lumine, sine reuelatione Spiritus  
 Sancti.

Cum igitur sine vlla dubita-  
 tione certissimum sit, Dei verba,  
 opera & sanctiones, promanare ex  
 infinita Sapiencia & potentia, &  
 suam certitudinem, possibilitatem  
 ac veritatem nequaquam sumere  
 ab imbecilli & caliginosa luce aut  
 testimonio Rationis humanæ, quæ  
 pleræque illorum, quæ à Deo di-  
 cuntur, fiunt, aut sancuntur, mi-  
 nime intelligit aut percipit, ideoq;  
 de ignotis pronunciare nec potest  
 nec

nec debet: Cauendum est omni studio, ne in articulis Fidei ad cæcam nostram Rationem confugiamus, eamque vt præcipuam veritatis & Certitudinis Magistram ac testem de rebus diuinis consulamus, & ab ea discamus, vtrum illa Dei dicta & ordinationes pro veris & possibilibus accipere & amplecti debeamus. Nam si ab ipsa petemus Certitudinis testimonium, sæpissime turpiter decipiemur, multò certius et periculosius, quàm si quis natum Cæcum consulat de probitate Monete, aut de discrimine rectæ Viæ & abducentis in ambages, qui ipse ductore indiget, & facillimè à quouis falli potest, cupream monetam pro aurea accipiens.

Sed Dei sermones tanti fieri  
 D 2 debent,



debent, ut ipso loquente, non modo æquum sit, cœcutientem Rationem suas futiles, nugaces, & incertas oblocutiones inhibere & compescere, sed etiam Cœlum & Terram & omnes creaturas cum tremore & debita Reuerentia silentes attendere, quid dicatur, Sicut Esaias exclamat: Audite cœli, & Terra auribus percipe, Quia DOMINVS locutus est, ille videlicet Orator, qui solus excellentissimè est Sapiens, verax, potens, ideoque iure vnus titulum & honorem Magistri ac Rabbi obtinet, sicut Christus de sese inquit Matth: 23. Vos autem nolite vocari Rabbi. Vnus est enim Magister vester, Christus. Quo dicto Christus haud dubiè prohibet audaciam interpretan-

pretandi, inflectendi & torquendi  
 verbum Dei iuxta arbitrium  
 & iudicium humanae Rationis, &  
 vult nos omnes esse & manere di-  
 scipulos ipsius, vnici & veri Ma-  
 gistri, de quo solo hoc grauissi-  
 mum mandatum de caelo sonuit:  
**HVNC AVDITE.**

Sunt autem in quavis disci-  
 plina & professione haec perpetua  
 officia & leges probi discipuli  
 cuiuslibet. Primum, Vt sit DO-  
 CILIS, agnoscat suam imperi-  
 tiam, & non ilico, vix dum per-  
 ceptis primis rudimentis artis, se  
 efferat supra Magistrum, & do-  
 ceri amplius nolit: sed fateatur  
 se procul adhuc abesse ab excellen-  
 tia sui Magistri, & errantem  
 patiatur se moneri, & studeat

errata corrigere, & in recta faci-  
endo proficere.

Altera conditio boni discipuli  
est, vt sit **CREDVLVS**,  
non inquirat scrupulose in ea, quæ  
præcipiuntur, cur & ad quem v-  
sum hæc primo loco, aut tali mo-  
do & ordine, aut talibus verbis  
doceantur, ac discenda sint, & si  
non statim intelligit initio omnia,  
quæ traduntur, & cur hoc sic &  
non aliter esse aut fieri oporteat,  
patienter expectet pleniorẽ re-  
rum intellectum, & fidat peritiæ  
& bonitati sui Magistri, certò per-  
suasus, ea sibi optima fide & com-  
pendio tradi, quæ ad percipiendam  
illam artem scitu necessaria sunt,  
& quæ in præsentia ipsius captum  
fugiunt, in progressu artis aut in  
ipso

ipso vsu & tractatione artificij  
 futura planiora & magis perspi-  
 cua.

Tertia lex discipuli est, vt sit  
**OBSEQVENS**, discat, ex-  
 erceat, faciat, Vitet etiam reue-  
 renter & sedulò ea, quæ iussus est,  
 eo modo ac ordine, qui monstratus  
 est, non cessans per ignauiam, aut  
 contumaciam, nihil temere mu-  
 tans, addens, omittens per arro-  
 gantiam, & fiduciam ingenij ac  
 propriæ industriæ.

Hæ leges seruatæ in omni  
 professione, prouehunt discipulos,  
 vt quam proximè accedant ad  
 præstantiam Magistrorum, aut  
 eos laude industriæ exæquent vel  
 etiam superent, si cætera naturæ  
 subsidia accedant.

Sciamus igitur & à Christo  
 tales discipulos requiri, qui agnita  
 sua ignorantia & infirmitate sint  
 Dociles, Creduli, & Obsequentes,  
 in omnibus, quæ ab ipso, tanquam  
 unico, eoque excellentissimo Ma-  
 gistro, traduntur & præcipiun-  
 tur. Imò sciamus requiri in ipsius  
 Schola planè Infantes & Alpha-  
 betarios, hoc est, tales auditores,  
 qui nihil ipsi scire se aut sapere  
 putent aut velint in rebus diuinis,  
 aliud, & aliter, quàm quod &  
 quomodo illis à Sapiencia Verbi  
 diuini, ceu Matre aut Nutrice, di-  
 ctatur & traditur, sicut Christus  
 ipse confirmat, Matth. II. Confis-  
 teor tibi Pater Domine Cœli  
 & Terræ, quod abscondisti  
 hæc à Sapiensibus & Prudens-  
 tibus, & reuelasti ea Paruulis.  
 Ita

Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.

*Vbi clarè testatur, sapientes & prudentes, qui in rebus fidei Rationis suæ lucem & Sapientiam sequi malunt, quàm vocis diuine indubitata veritatem, subinde longius à Mysterijs Dei & vero intellectu sermonis diuini abduci, & tandem prorsus excæcari. E contrario eos, qui etsi egregia dona Ingenij & Solertiæ à natura habent, tamen illa auctoritati Verbi diuini postponunt, neque Rationi arbitrium & iudicium plenarium permittunt in articulis Fidei, sed vt infantes & imperitos se Verbo Dei simpliciter subijciunt, illud vnum audiunt, magnificiunt, & infantili simplicitate fidei & obedientiæ*

amplectuntur ea, quæ in Verbo  
 offeruntur, & faciunt pro virili,  
 quæ iubentur, hos inquam esse pro-  
 bos & dociles discipulos, quibus  
 solis cœlestia Myſteria & omnium  
 rationalium Creaturarum intelle-  
 ctui ignota Sapiencia reuelata sit,  
 quos propterea, quòd fide ample-  
 ctuntur illa, quæ in Verbo annun-  
 ciantur, etiamsi ea sensibus exte-  
 rioribus aut interiore Intellectus  
 luce non percipiunt, Christus etiam  
**BEATOS** pronunciat, Iohan.  
 20. vbi obiurgans Thomam Apo-  
 stolum, tanquam indocilem, in-  
 credulum, & inobedientem disci-  
 pulum, qui prius velit videre &  
 contrectare, ac deinde credere, in-  
 quit: Noli esse incredulus, sed  
 fidelis, & rursus: Quia uidisti  
 me Thoma, credidisti. **BEA-**  
**TI,** qui

TI, qui non uiderunt, & crediderunt.

*Idem docet Christus & facto & uerbo suo, Matth. 18. Cum discipuli sciscitati, quis ipsorum maximus in regno cœlorum esset futurus, scire uellent, quem ipse suo testimonio reliquis Apostolis præferret, ut ingenio, Sapientia, industria & pietate præstantiorem, & cæteris quasi Magistrum & Doctorem & gubernatorem post se relinquere constituisset: Ipse uerò aduocatum blandè ad se paruulum, statuit in medio discipulorum, expectantium Prædicationem suarum uirtutum & laudum, inquit: Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum cœlorum. Quis*  
*cunq;*



cunque ergo humiliauerit se  
 sicut Paruulus iste, hic est ma-  
 ior in Regno cœlorum, & qui  
 scandalizauerit unum de pupil-  
 lis istis, **QVI IN ME**  
**CREDVNT**, expedit ei  
 &c. Quo dicto significat, eos de-  
 mum esse veros discipulos suos, &  
 Regnum cœlorum ingressuros esse,  
 qui nihil quicquam tribuentes suo  
 ingenio, sapientiæ, Virtutibus,  
 meritis, dignitati, se paruulos &  
 infantes agnoscant, Verbo prin-  
 cipaliter adhereant & credant,  
 & illo se regi sinant, sicut pueru-  
 lus scit se imbecillem esse, se nihil  
 labore suo acquirere aut promere-  
 ri posse, audit autem Patris sui  
 vocem & iussa, cum filiali reue-  
 rentia & subiectione, & Puerili  
 simplicitate illis assentitur, nequa-  
 quam

quam vsurpans sibi licentiam, illa  
 sapienter interpretandi, aut in-  
 uertendi, suo arbitrato & iudi-  
 cio, sed confisus pietate & boni-  
 tate Patris, reuerenter illius do-  
 ctrinae & mandatis obtemperat,  
 & si quid, per incogitantiam &  
 infirmitatem lapsus, commisit di-  
 gnū pœna, patienter subijcit se  
 ferulae, amplexatur etiam & o-  
 sculatur iussu Patris illam ipsam  
 asperam virgam, qua cæsus est,  
 hoc gestu contestans, Patris ca-  
 stigationem iustam & necessari-  
 am fuisse, & sibi salutarem, &  
 deinceps magis reueretur & amat  
 Patrem, & studiosius cauet simi-  
 les lapsus & offensiones Paternæ  
 voluntatis.

Ita iubet Christus & præstan-  
 tem illum Pharisæum, & excel-  
 lentem

lentem sapientia virum Nicodemum repuerascere, & renasci, & quasi stultescere, cum nocte, hoc est, in densis tenebris suae carnalis sapientiae, ad Christum accedens, quem tamen fatetur esse Rabbi & Magistrum à Deo missum, audet in eius doctrinam & sermones inquirere, & illos conari labefactare & euertere, intempestiuis questionibus: Quomodo potest homo nasci, cum sit Senex? Quomodo possunt haec fieri? Hic scrupulosus inquisitor cogitur tandem etiam hanc duram reprehensionem inscitiae & incredulitatis suae audire: Tu es Magister in Israël, & haec ignoras? Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo si uobis coelestia dixero, credetis?

Nemo

Nemo ascendit in cœlum, nisi  
qui descendit de cœlo, Filius  
hominis, qui est in cœlo.

*Vult autem hoc dicere Chri-  
stus: Vos cæci homines non debe-  
tis vestris cogitationibus indulge-  
re, ut in rebus diuinitus patefactis  
aut ordinatis, scrutemini curiose,  
& quærat: QVOMODO  
hoc, QVOMODO illud fieri  
possit? Vestra Ratio nihil horum  
intelligit, nihil percipit. Non e-  
nim ascendere potest in cœlum, ut  
ibi à priori exploret arcana Mys-  
teria Dei, extra patefactionem,  
quia Ratio vestra non descendit  
de cœlo, non est illa infinita sapi-  
entia, qualis in Deo est, Imò ne  
quidem est amplius ille fulgidus  
radius Sapientiae Dei, qualis in  
primis vestris Parentibus ante  
lapsum*

lapsus splenduit, sed iam fœdè  
 obscurata & horrendis tenebris  
 ignorantia oppressa mens vestra,  
 deiecta est in terram, ubi res cor-  
 poreas creatas, utcumque intue-  
 ri, & sollicita ratiocinatione ali-  
 quantulum cognoscere, & discer-  
 nere naturas & vires earum po-  
 test.

Sed cum sese in cœlum sustol-  
 lere audet (sine verbo Dei) ad  
 adspersionem rerum & ordina-  
 tionum diuinarum, multò magis  
 caligat, & obruitur tenebris,  
 quàm perstringuntur & hebetan-  
 tur & excœcantur tandem Cor-  
 porei oculi vestri, quando fulgen-  
 tissimum Solis globum acri et diu-  
 turniore intuitu, absq; adminiculo  
 aliquo, contemplari pertinaciter  
 contendunt.

Solus Filius, qui ita de Cælo  
 descendit, ut tamen perpetuo sit in  
 Cælo, Is inquam potest ascendere,  
 & cum sit in sinu Patris, & λόγος  
 αἰδῖος, perfectissime nouit, & So-  
 lus verè & efficaciter enunciare  
 potest ea, quæ de Essentia & Vo-  
 luntate Dei vos scire ad salutem  
 oportet. Eius igitur testimonium  
 accipere debebatis Nicodeme, hoc  
 est, MIHI credere, siue vobis  
 terrena dicam, siue cælestia, quia,  
 Amen Amen dico tibi, NOS  
 quod scimus loquimur, &  
 quod uidimus testamur. Ego  
 inquit, qui descendi de cælo, imò  
 qui sum in cælo, αὐτόπῆς & con-  
 sciens omnium consiliorum arcano-  
 rum Patris, qui sum socius crea-  
 tionis, & omnium operationum,  
 & ordinationum Dei, debeo sane  
 E omnibus

omnibus esse & haberi fide dignus  
nuncius, & omni exceptione ma-  
ior testis, de rebus diuinis.

Ille autem arcana annuncio  
non ijs, qui iam antè sunt Rabbi  
& Magistri, tumentes persuasio-  
ne suæ sapientiæ, quam pluris fa-  
ciunt, quàm diuini Verbi authori-  
tatem: Sed DISCIPVLIS,  
& quidem Paruulis, imò Infanti-  
bus, qui præbent se dociles, credu-  
los & obsequentes, & infantili  
simplicitate accipiunt hoc meum  
Verum testimonium, etiamsi re-  
rum amplitudinem & modum, quo  
illæ fiant aut dentur, sua cogita-  
tione comprehendere non possunt,  
atq; adeo credunt, etiamsi nondum  
viderunt, quos verè BEATOS  
prædico.

Vt

*Vt igitur tandem hanc com-  
monefactionem finiamus, dicimus  
haec esse omnium Christianorum  
quantumuis intelligentium, peri-  
torum, eruditorum, exercitato-  
rum, vnicam & summam Sapien-  
tiam, & vt Geometrae vocant,  
Αἰωμια, seu praecipuam Maximam,  
quam mandato Christi à paruu-  
lis & infantibus discere debent:*

*Vt, Quodocunque & quod-  
cunque Deus loquitur, quod  
serio ac planè accipi & intelligi  
uult, sicut pueruli suis Parenti-  
bus aliquid dictantibus attentè  
audientes obediunt: ita ipsi suo  
Creatori cum timore & solli-  
cito silentio auscultent, uerbo  
eius assentiantur, illud magnis  
faciant, in simplicitate fidei am-  
plectantur, & reuerente obe-  
dientia*



dientia pro uirili exequantur, etiam si id, quod dicitur, sensus non percipiunt, mens & Ratio non comprehendit, nec perspicit, an & quomodo id fieri possit, an & quomodo cum hoc vel illo naturali principio congruat, & ad quid necessaria & utilis eius rei præceptio aut sanctio esse videatur: Et quando audax & caliginosa Ratio, suam naturalem lucem sequens, multa contra opponere aut in dubium vocare, aliter interpretari, & ad faciliorem minusq; absurdum intellectum transformare dictum Dei nititur, ut illam obloquentem Sapientiam naturalis lucis compefscant, & obscurissimam illam scintillulam immenso & incomprehensibili fulgore Sapientiæ diuinæ captiuam subiciant,

ciant, & Usitatam Rationi, & sæpe in scriptura reprehensam, ex irreuerentia erga Deum, & curiositate humanæ arrogantie, & ex diffidentia profectam Quæstionem: *QVOMODO*, quæ mox post Creationem in Paradiso, ac deinceps sæpe in Ecclesia maximas turbas & damna dedit, exturbatam ex Templis, abigant eo locorum, ubi ex professo tractantur illa, quæ Rationi humanæ subiecta sunt, & propter necessarios vsus vitæ communis penitus inquiri debent, & peruestigari aliquomodo luce naturalis sapientiæ possunt, Qualia sunt illa, quæ à Iureconsultis de æquitate Iuris ex naturali luce, discernente honesta & turpia, quæ à Medicis de causis differentijs & remedijs morbo-

rum, de fabrica corporis humani,  
 & de herbarum aliarumque rerum  
 viribus: quæ à Geometris de figura  
 ris corporum & varietate nume-  
 rorum ac proportionum: quæ ab  
 Astrologis de motibus & effecti-  
 bus corporum cœlestium studiose  
 & vtiliter disputantur & inue-  
 stigantur, in quibus ipsis tamen  
 experimur, hanc lucem mentis in-  
 terdum hebetiorem & imbecillio-  
 rem esse, quàm vt illam Dei Con-  
 ditoris Sapientiam, elucescentem  
 ex rebus naturalibus & corporeis,  
 exhaurire, & causas ac modum  
 singularum operationum & viri-  
 um, penitus indagare & euoluere  
 possit.

Ad hanc regulam seu Maxi-  
 mam adsuefaciamus nos à primis  
 etatis nostræ annis, vt quantum  
 expe-

experientia, intellectui, Sapiencia  
 nostrae per aetatem, per usum re-  
 rum longiorem, & per eruditio-  
 nem ac diuturnam exercitationem  
 accedit, tanto magis, quod ad Ra-  
 tionis nostrae usum in rebus fidei,  
 & scrutationem diuinorum atti-  
 net, repuerasamus, sicut Christus  
 precipit, Matth. 18. hoc est, magis  
 magisque Verbo attendamus, ei  
 firmitus & propius innitamus, eius  
 auctoritatem pluris faciamus, &  
 fide simpliciore ac sinceriore, ma-  
 ioreque cum reuerentia ei obedia-  
 mus, semper minus minusque Ra-  
 tionis nostrae curiositati indulgen-  
 tes, minusque permittentes, ut in-  
 dicta Dei seria, & plana, scrupu-  
 lose inquirat, eaque suo arbitrio  
 & iudicio interpretetur aut mol-  
 liat.

Hanc Regulam, quam nobis  
 in primis commendat 119. Psal-  
 mus, & alia multa Scripturae te-  
 stimonia & exempla, si quis didi-  
 cerit, & exercere in vita volet  
 (Sicut omnes velle & conari  
 debemus, moti summo periculo,  
 quod affert neglectio huius Regu-  
 lae) is profecto experietur, se pro-  
 ficere in agnitione Dei, & caelesti  
 Sapientia, sentiet certiolem &  
 firmiorem consolationem in cruce,  
 & omnibus tentationibus, conci-  
 piet indies maius odium peccati,  
 inuocare poterit Deum ardentius,  
 sentiet incrementa Timoris Dei,  
 fidei, dilectionis & aliorum mo-  
 tuum spiritualium, maiore studio  
 & animi tranquillitate parabit se  
 ad migrationem ex hac vita, &  
 certiore spe ac leticia expectabit  
 Vitam

Vitam & consuetudinem æternam  
cum Deo & Domino nostro Iesu  
Christo, promissam nobis in indu-  
bitato verbo ipsius.

Hactenus vt potui, autho-  
ritatem verbi diuini Veris argu-  
mentis munire conatus sum, &  
ostendere, quanti referat, firmiter  
adherere Verbo Dei, & suspectas  
habere ac fugere omnes illas vias,  
quas plures nouit & usurpat ver-  
sutissimus nobisque infestissimus  
hostis diabolus, vt incautos ho-  
mines cum irreparabili ipsorum  
damno à verbo & à vero ac ge-  
nuino ipsius intellectu, ab amore  
item, studio, reuerentia, & usu  
eiusdem abducat, quod vbi perfe-  
cit, mox illos simul fide spoliauit,  
atque adeò à Deo ipso auellit, &  
in horrendas tenebras, & (nisi  
E 5      respici

resipiscentes ad Verbum denuò  
confugiant) in æternum exitium  
præcipitavit.

Fuit igitur hæc summa quasi  
eorum, quæ dicta sunt: Si volu-  
mus placere Deo, & acceptari ab  
ipso ad salutem & Vitam æter-  
nam, necesse est nos credere in Fi-  
lium, iuxta dicta: Qui credit  
in Filium, habet Vitam ætere-  
nam, qui uero non credit Filio,  
non uidebit Vitam, sed ira Dei  
manet super eum, Iohan. iij.  
Item: Sine Fide impossibile  
est placere Deo, Ebr. xi.

Fides autem cum ex auditu  
sit, & auditus ex Verbo Dei, ne-  
cesse est Fidem niti principaliter  
Verbo.

Ut igitur Fides sincera sit, &  
firma,

firma, ac Certa, oportet Verbum  
 accipi in proprio ac genuino sensu,  
 sicut Deus id intelligi voluit, pro  
 rei, quæ enunciatur, conditione:  
 non exponi debet aut flecti pro  
 Rationis nostræ iudicio, ad eum  
 sensum vocabulorum, quo evitari  
 absurda possint, à quibus Rationis  
 lumen abhorret, & elici concinna  
 aliqua & Rationi Consentanea  
 sententia: Cum Deus multa pos-  
 sit, & solitus sit, dicere & facere,  
 quæ à lumine Rationis nostræ  
 comprehendi nequeunt, & absur-  
 dissima iudicantur, Partim, quia  
 id lumen per se finitum, & longe  
 arctius est, quàm ut infinitam Dei  
 Sapientiam intra sese concipere &  
 quasi concludere possit: Partim  
 quia idem Lumen post lapsum pri-  
 morum hominum etiam horrenda  
 dis te



dis tenebris deformatum & obscuratum est.

Quare decet nos in rebus Fidei, audito Verbo, sine curiosis quæstionibus de modo, & possibilitate, & causis rerum promissarum aut ordinarum, simplici Fide assentiri & obedire, imitantes *ἀνοήτους* pueros, quales solos Christus ad societatem Regni sui admittit, Matth. 18. Qui etiam sapientiæ propriæ admiratione turgentem Nicodemum iubet renasci, & audire reuerenter, dissententem de rebus cælestibus, ignotis Rationi, eum præcipuè, qui ex cælo descendit, & solus ascendit, & ab æterno est in cælo: Quique Thomam discipulum suum obiurgat, eo quòd illum ordinem apprehensionis, qui Rationi, & illius fœtui,

foetui, Philosophiæ, proprius est, inuehit in Ecclesiam, in qua contrario prorsus ordine proceditur.

Nam Philosophia & Ratio primum assentitur & credit propositioni, postquam eam sensu & experientia confirmatam videt. Orditur igitur à sensu, & sic procedit ad fidem seu assensionem.

At in Ecclesia mens prius debet assentiri & credere Verbo, ac deinde videre & experiri id, quod Verbo expressum est.

Orditur igitur Ecclesia, in apprehensione rerum diuinitus patefactarum, ab assensione & fide, nitente Verbo Veracis & Omnipotentis Dei, & inde procedit ad sensum & experientiam, sicut dicit Chris

cit *Christus*: Beati qui non uiderunt & crediderunt, hoc est, qui orsi ab assensione & fide uerbi, expectarunt rei creditæ exhibitionem sensibilem.

In hanc sententiam & *Philippus* ad *Nathanaelem* dicit, *Ioh. 1. VENI ET VIDE*, id est, assentiens & credens *Verbo*, quod tibi de *Christo* annuncio, mecum ad ipsum accede, & certo uidebis & experieris eum talem esse, qualem tibi prædicaui. Non autem uelis uidere prius & experiri id, quod tibi de *Christo* dixi, & tunc demum venire, hoc est, uerbis meis assentiri, & credere, me uera de hoc *Iesu* tibi nunciasse.

Sic & *Elisabetha* mater *Iohannis Baptistæ* aduenientem ad  
se co.

se cognatam suam virginem Mariam, quæ iam conceptum in utero gerebat Filium Altissimi, sicut Angelus prædixerat, hac acclamatione excipit: Beata quæ CRE-  
 DIDISTI, quoniam perficiuntur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino, ostendens, hunc perpetuum ordinem apprehensionis, & hanc legem auditoribus in Ecclesia fixam esse, ut CREDANT verbo Dei, prius, postea etiam experientiam certa spe expectent.

Et ut hunc ordinem magnificeret, & propter illum, Mariam beatam prædicaret, edocta & mota fuit Sapiens & Sancta matrona, tristi pœna mariti Zacharie, qui adhuc mutus erat, propterea, quòd ordinem hunc inuerterat, &  
 volues

voluerat re ipsa et experientia cer-  
 tus fieri, prius, quam crederet,  
 cum interrogaret: Vnde hoc scis  
 am: ego sum Senex, & uxor  
 mea processit in diebus suis.  
 Allegans etiam intempestiuè, iux-  
 ta lucem Rationis suæ, impedi-  
 menta naturalia, quæ hoc, quod  
 promittebatur, impossibile & ab-  
 surdum efficere videbantur. Sed  
 obiurgatur duriter ab Angelo di-  
 cente: Ego sum Gabriel, qui ad-  
 sto ante Deum, & missus sum  
 loqui ad te, & hæc tibi Euange-  
 lizare, quasi dicat, non annuncio  
 tibi hominis alicuius impotentis &  
 fallacis sermones, sed affero pro-  
 missionem à Deo Creatore rerum,  
 & authore huius ordinis in natu-  
 ra, quem tu iam ætate tua & vxor-  
 ris sterilitate impediri putas. Cum  
 autem

autem Deus multo potentior sit  
 natura, & contra & supra causas  
 secundas facere possit, quicquid  
 vult (Sicut & ad virginem Ma-  
 riam dixerat idem Angelus, ante  
 paucos dies ex infirmitate puellari  
 etiam allegantem creatum natu-  
 ræ ordinem, necessarium ad con-  
 ceptum & generationem hominis:  
 Non est impossibile apud De-  
 um omne Verbum:) Debebas  
 sine hesitatione credere verbo meo  
 Zacharia, non postulare argu-  
 mentum ex sensu & experien-  
 tia.

Sed quia hunc ordinem per-  
 uertis, & Legem hanc violas,  
 quam Deus in suis auditoribus  
 requirit, Ecce eris tacens, &  
 non poteris loqui usq; in diem,  
 quo hæc fiant: Eo quòd non

CREDIDISTI Verbis  
meis, quę implebuntur in tem-  
pore suo.

*Estque in hac ipsa pœna senis  
Sacerdotis, curiose iuxta Ratio-  
nem sciscitantis de modo & possi-  
bilitate facti, significatio quedam  
& admonitio, vt audientes Ver-  
bum Dei, vitemus tales oblocu-  
tiones & scrutationes, quales in  
quolibet articulo Fidei plurimas  
excogitare, & obijcere traditis  
in Verbo Dei, Ratio humana po-  
test, & solet. Quod nisi faciemus,  
non modò voce priuabimur, sicut  
Zacharias, hoc est, facultate di-  
cendi Vera & grata Deo, & salu-  
taria auditoribus nostris: Verum  
etiam feriemur cœcitate mentis,  
vt quid dicamus, ignoremus, &  
ex vno errore in alios plures & te-  
triores*

triores prouoluamur, id quod plæ-  
runque euenire solet ijs, qui à ver-  
bo Dei recedentes, Rationis suæ  
lumen sequuntur, sicut erudite di-  
citur: *Errorem esse fœcundum.*

Hunc igitur ordinem appre-  
hensionis, proprium Ecclesiæ, &  
quidem discipulis Christi, quos di-  
ximus oportere in primis esse do-  
ciles, credulos, obsequentes & re-  
uerentes sui Magistri, peculi-  
arem, cum semper conatus sit  
& consueuerit peruertere omnis  
diuinitus sanciti ordinis turba-  
tor diabolus, omnibus tempori-  
bus: multò maiore conatu idem  
facere molitur nunc in hac po-  
strema etate mundi, breui con-  
flagraturi, Cum prospicit imma-  
nis Latro, exiguo interuallo secu-  
turum



turum iudicium horrendum, in quo vniuersa eius impuritas & scelera patefient, & ad æternos cruciatus damnabuntur à Filio Dei, in conspectu vniuersæ Ecclesiæ Angelorum, & miserè ab ipso vexatorum & afflictorum hominum Beatorum.

Ideo ceu postremo ausu ex desperatione, & ultimo conatu omnium virium suarum, rabiosius furans nunc, vt ne quid omittat eius, quod ad promerendas & cumulandas æternas pœnas restare videtur, omnes versutiæ suæ nervos in hoc intendit, vt quoquo modo homines à studio, reuerentia, & pio vsu Verbi auertat, quod vti nam à nobis diceretur tantum, non etiam in maxima multitudine hominum ita fieri, cum maxi-  
mo nos

mo nostro dolore, experiremur,  
 & non eiusdem machinationis iaculis nos ipsos quoque interdum peti & tentari sentiremus.

Quare hoc periculosissimo tempore, hæc commonefactio publice omnibus pijs, & nobis singulis quoque, summopere necessaria est, ut maiore studio & contentione animi discamus & exerceamus Verbum Dei, Legendo, Audiendo, Meditando, Usurpando, & à vero ac nativo eius intellectu, quem rerum traditarum conditio, & orationis ac Verborum series & Contextus, & illustra ex alijs locis scripturæ adhibita testimonia, & communis saniorum Doctorum in Ecclesia Catholica consensus, ostendunt & probant, non

patiamur nos vel argutijs subtili-  
 tatum, vel Sophismatum strophis,  
 vel concinnis & Rationi nostræ  
 abblandientibus interpretationi-  
 bus, abduci, & simul ardentibus  
 & crebro repetitis votis oremus  
 Deum æternum Patrem, & ipsius  
 coæternum Filium λόγος, Domi-  
 num nostrum Iesum Christum, vt  
 Spiritu suo nos in omnem Verita-  
 tem ducat, & adiuuet, vt in Vero  
 & Sincero intellectu incorrupti  
 Verbi, toto tempore Vitæ nostræ  
 perseueremus, quo illud sanctum  
 nomen ipsius à nobis quoque san-  
 ctificetur, & luce illius, & effica-  
 cia Spiritus sancti, ita illustre-  
 mur, regamur, roboremur, exci-  
 temur, sanemur & sanctifice-  
 mur, vt huic vnico Conditori &  
 Saluatori nostro, in suo quisque  
 officio

officio & Vocatione, cum debita  
 subiectione obediamus, & post  
 hanc vitam omnia beneficia ipsius,  
 infinita numero, amplitudine, &  
 bonitate, quæ nobis per patefactio-  
 nem Verbi, & exhibitionem Filij  
 sui benignissimè præstitit, cum  
 omnibus Angelis & Beatis homi-  
 nibus læta prædicatione, in  
 omni æternitate celebra-  
 mus. Amen.

# DE COENA DOMINI.



**H**ÆC initio præfari  
 volui, cum à multis  
 pijs viris ex diuersis  
 locis obnixè rogarer,  
 vt harum Ecclesiarum sententiam  
 de Verbis Christi, quibus Sacro-  
 sanctam

sanctam Cœnam suam instituit,  
publicè exponerem: Postquam de  
eorum intellectu iam pridem mota  
certamina, in ijs Ecclesijs, quæ re-  
purgatam Euangelij doctrinam  
profitentur, & per 40. fermè an-  
nos atrocissimè agitata, ante pau-  
cos annos recruduerunt, adeo ve-  
bementer, vt multas Ecclesias,  
prius, Dei beneficio, bene tranqui-  
las, miserè turbarint & contristas-  
rint.

Cum igitur vrgentibus tot  
bonorum virorum, & cum de Ec-  
clesia, tum de me quoque, optime  
meritorum flagitationibus, con-  
stituissem aliquid pro tenuitate  
virium mearum dicere de hac con-  
trouersia, ea autem tota ferè con-  
sistens in disputatione  $\pi\epsilon\sigma\iota\ \xi\upsilon\tau\omicron\upsilon\ \nu\epsilon\sigma\iota$   
 $\delta\iota\sigma\upsilon\lambda\omicron\iota\alpha\varsigma$ , de scripto & sententia,  
aliunde

aliunde iudicari, nisi ex ipso verbo  
 Dei rectè ac propriè intellecto,  
 non possit: & anxie conscientie,  
 illis disputationum labyrinthis ad-  
 ductæ in tristes & periculosas du-  
 bitationes, aliunde certam & fir-  
 mam doctrinam & consolationem  
 accipere non queant, nisi ex eodem  
 Verbi diuini limpido fonte: Opor-  
 tuit nos hoc prius ceu fundamen-  
 tum iacere, vt super eo omnia reli-  
 qua, quæ de rebus in cæna Sacra-  
 tissima exhibitis, de modo sum-  
 ptionis earum, de differentijs su-  
 mentium, & de vero Vsu totius  
 actionis Sacramentalis, dicenda  
 sunt, collocata & superextructa,  
 contra omnes ventos opinionum,  
 & impetuosas illisiones speciosas  
 rum ratiocinationum, validius &  
 firmitus consistere possent.

Ostendendum fuit immensum discrimen inter infinitam sapientiam Dei Conditoris, & nostram in Creatione acceptam lucem Rationis, eamque etiam tunc finitam, & postea horribiliter quoque obscuratam, lapsu primorum Parentum.

Admonendus fuit lector, multa & posse & consueuisse Deum dicere & facere, quae à Rationis luce non modo comprehendendi nequeant, verum etiam pro absurdissimis & pro mera stulticia habeantur.

Indicandum etiam fuit, quid Creatura rationalis dicenti, aut ordinanti aliquid, Conditori suo, debeat, quando id eiusmodi est, ut percipi à Ratione, naturali luce, non possit.

Cum

Cum igitur hæc Controuersia  
 tota constet disputatione de sensu  
 Verborum, quibus sancita & or-  
 dinata est Cœna, moneri necesse est  
 litigantes, vt respiciant ad Au-  
 thorem Cœnæ, & Enunciatores  
 horum Verborum, eumque pro di-  
 gnitate sua bene considerent, Quis  
 sit, Quando & Quibus, & Quid,  
 & cur sanxerit, cum talibus Ver-  
 bis vsus est: Vbi si inuenient per-  
 sonam proloquentem ea verba, in-  
 finita sapientiæ & potentiæ esse,  
 & immutabiliter veracem & be-  
 neficam, mox haud dubiè, si quid  
 communis sensus habent, secum  
 colligent & statuent, æquissimum  
 esse, vt talis Oratoris Verba, quæ  
 tempore mæstissimo in institutio-  
 ne rei arduæ prolata, ipse haud du-  
 biè serio & propriè intelligi vo-  
 luit,



luit, singulari cum reuerentia & attentione audiantur, & firma assensione ac fide accipiantur, neque ideo temere exponantur & detorqueantur in alienum sensum, quia aliquid dicunt, promittunt, aut fieri mandant, quod Rationi nostræ absurdum, impossibile, aut stultum esse videtur, cum aliquot rationibus & exemplis ostensum sit, diuinam Sapientiam nec velle, nec posse, quasi captiuam concludi à creata Rationis luce, ita, vt nihil dicat aut faciat, nisi quod nostro intellectu planum, concinnum & κατ'ἐλαπίστον esse videatur.

Hæc si quis in primo limine & ingressu ad hanc disputationem, bene perceperit, & firma fixaque in animo suo reposuerit, sicut res  
uera.

vera certissima & insolubilia sunt,  
 quicquid etiam audax & fallax  
 Vel cæca potius in diuinis rebus  
 Ratio, contra clamare, & ad euer-  
 sionem illorum conquirere cona-  
 tur: Is deinceps facilius iudicare  
 ipse poterit, Vtrius partis senten-  
 tia, in hac de Cœna Domini Con-  
 trouersia, super solidiore & fir-  
 miore fundamento extructa sit, &  
 assensione ac fide dignior haberi  
 debeat.

Quia vero caput Controuer- PROPO-  
 sia hoc tempore consistit in Quæ- SITIO,  
 stione de Substantia Cœnæ Domi-  
 nicæ. (Sic enim quibusdam libuit  
 nunc loqui, quos Consuetudinis  
 vicio improprie loquentes, liceat  
 mihi sine reprehensione imitari,  
 vt Cœnæ huius Sacræ, quæ reuera  
 actio est, atq; ita relatio quedam,  
 Sub

Substantiam cum ipsis nominem  
 Res illas, quæ in Cæna exhibentur  
 & accipiuntur, ceu pignus & Ara  
 ra, seruiens Certificationi & con-  
 firmationi languidioris fidei) Sit  
 ne ibi & porrigatur ac sumatur  
 tantum id, quod foris apparet &  
 gustatur, Panis & Vinum, remo-  
 to procul corpore & sanguine  
 Christi, quæ tamen Verbis Christi  
 expresse dicuntur accipi: An vero  
 simul comedatur et bibatur præ-  
 sens Corpus & Sanguis Domini  
 nostri Iesu Christi: Primo loco  
 nostram sententiam de hac Quæ-  
 stione perspicuè & planè expo-  
 nam, ac simul ostendam, quomodo  
 intelligamus hæc Verba Christi,  
 de Pane, post Benedictionem,  
 porrecto, dicentis: HOC EST  
 CORPUS MEVM.

Deinde

Deinde quia iam aliqui præsentiam Corporis Christi ex Cœna tollentes, ut videantur idem cum nostris Ecclesijs sentire, aut saltem dicere, quàm proximè accedunt ad formas loquendi vsitatas nostris Ecclesijs, & fatentur ipsi quoque, in Cœna verum Corpus Domini donari & accipi, sed cum urgentur explicatius dicere, quid sentiant, ita sua verba declarant, ut constet, eos intelligere præsentiam & sumptionem tantum respectu fidei, quæ ubicunq̃, etiam remotissimè, & supra cœlos, positum Corpus Christi, possit attingere & amplecti: Dicendum erit, de duplici manducatione Carnis Christi, & una ab altera discernenda erit.

Et quia singulare nunc certamen

men est de manducatione Corporis Christi, quæ fit ab indignis, explicandum erit, quos Paulus dicat indignè manducare, ideoque reos Corporis & Sanguinis Christi fieri.

VIII.

Postremò dicendum erit de Fine, ad quem instituta est hæc actio, & de veris ac necessarijs Usibus, ut nos inde commonefactionem & consolationem capiamus, de quibus tamen illis fermè nobiscum conuenit, qui in cæteris questionibus de Cœna à nobis dissentiant.

V.

His omnibus subiungam loco Epilogi quædam, quæ videbuntur conducere ad placationem & conciliationem dissidentium, & ad commonefactionem ac confirmationem nostrarum & aliarum Ecclesiarum

clesiarum, & alia quaedam necessa-  
 ria ad prae-muniendum nos aduer-  
 sus eos, quibus fortassis haec sen-  
 tentiae nostrae explicatio non ubiq[ue]  
 probabitur, & ansam praebabit, in  
 nos hostiliter inuadendi, sicut hoc  
 tempore magna est ingeniorum  
 & licentia & petulantia, quam  
 cum dolore aspicientes & experti,  
 cogimur quaedam nostrae securita-  
 tis causa, expositioni nostrae sen-  
 tentiae adiungere, quod tamen fa-  
 ciemus sine vlla acerbitate & cu-  
 mulatione Conuiciorum & crimi-  
 nationum, quae profecto longissi-  
 me abesse debent à tractatione do-  
 ctrinae de Coena Domini, quae in-  
 ter alias, etiam hanc ob causam in-  
 stituta est, ut sit neruus & vincu-  
 lum communis membrorum in Ec-  
 clesia cōsociationis & συσπλάσσεως.

G Quare,

Quare, Deo me clementer regente  
 & adiuuante, hanc causam sic  
 agere decreui, vt memor mode-  
 stia, conuenientis docenti in Ec-  
 clesia, sperem me palam facturum  
 candido Lectori, nos in profes-  
 sione & defensione huius sententia  
 magis spectare gloriam Filij Dei,  
 Domini nostri Iesu Christi, illu-  
 strationem & propagationem ve-  
 ritatis, tranquillitatem & sana-  
 tionem miserrimè turbatae & la-  
 ceratae Ecclesiae, coniunctionem &  
 reconciliationem exacerbatarum  
 voluntatum, piam institutionem,  
 consolationem & confirmationem  
 afflictarum, & perpetuis dubita-  
 tionum fluctibus quassatarum con-  
 scientiarum: quàm indulgere am-  
 bitioni, cupiditati vindictae, aut  
 alijs huiusmodi culpandis affecti-  
 bus.

Obse

Obsecro etiam & obtestor Le-  
 ctiores per gloriam Domini nostri  
 Iesu Christi, cui illustrandæ servi-  
 re omnes debemus, ut ea, quæ huc  
 usque dicta sunt, & dicentur de-  
 inceps, legant, & iudicent candi-  
 dè & placidè, sepositis aliquan-  
 tisper, aut lenitis saltem affecti-  
 bus, si quibus contra nos incitati  
 ardent, & adhibita digna (bonis)  
 viris, æquitate, ac veritatis &  
 coniunctionis studio, quo igno-  
 scant mihi, & commodè interpre-  
 tentur, si quid in hac mea infirmi-  
 tate exciderit mihi parum commo-  
 dè, vel obscure aut improprie di-  
 ctum, sicut fieri non potest, quin  
 in causa tam variè disputata, &  
 partium Vehementia adeò exulce-  
 rata, facile aliquid à quantumvis  
 circumspècto Scriptore dicatur,



quo morosior aliquis Censor alie-  
norum scriptorum, offendi possit.

## De prima Quæ- STIONE:

Quid in Cœna Dominica ex-  
hibeatur & accipiatur.

**H**uius Quæstionis explicatio  
consistit in vera interpretatio-  
ne, & vero intellectu Verborum,  
quibus Dominus noster **IESVS**  
**CHRISTVS**, usus est in institu-  
tione Cœnæ, cum dixit, sine dubio  
de Pane post gratiarum actionem  
fracto, & distributo in Apostolos:  
Accipite, Comedite, Hoc est  
corpus meum, quod pro uobis  
datur. Similiter de Calice seu  
Vino in Calice post gratiarum  
actio-

actionem præbito: Bibite ex hoc omnes, Hic est Sanguis meus noui Testamenti, *vel sicut Lucas & Paulus dicunt*, Hic Calix seu potus in Calice est nouum Testamentum in meo Sanguine, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum.

*Hæc verba:* Hoc est Corpus meum, & hic est Sanguis meus, à diuersis dissimiliter accipiuntur & exponuntur.

Monachi enim & recentiores I.

Theologi & Scriptores Scholastici Contra nūm in- sistentes Literæ.  
 ci, nimis duriter vrserunt & quod seu literalem sensum, ita vt uer-  
 lint hæc verba: Hoc est Corpus  
 Christi, haberi pro prædicatione  
 Identica, quasi particula, HOC,  
 quæ haud dubiè Panem demon-

strat, aliud nihil significet aut ostendat, nisi Corpus Christi. Fingunt enim, efficacia horum verborum, ubi primum à Sacrificio prolata sunt, momentanea & occulta conuersione, Substantiam Panis annihilatam perire prorsus, & manere nuda accidentia, quibus in locum cedentis substantiæ Panis, insinuet se substantia Corporis Christi, ita, ut is, qui oculorum iudicium sequens, existimet se panem comedere, fallatur, cum panis Substantia, potentia verborum pronunciatorum à Sacrificio, aliquanto ante abolita & in nihilum redacta sit, reliquis tantum panis accidentibus incurrentibus in sensum, qualia sunt: magnitudo, figura, color, sapor, fragilitas & similia, quæ nullo nixa subiecto, dicunt

dicunt per se, contra naturam accidentium, permanere.

Hanc mutationem seu abolitionem Panis miraculosam nominarunt Transsubstantiationem, quæ ante trecentos demum annos in Concilio Lateranensi Romæ decreto publico confirmata & sancita est, ex quo illa durabilis inclusio Corporis Christi in vacuam speciem panis mutati seu annihilati conficta est, Propter quam voluerunt credi, etiam extra Usum Cœnæ & extra sumptionem, corpus Christi, imò Christum ipsum totum, accidentibus panis tectum & quasi inuolutum, coràm præsentem adesse, ideoq; repositam in Ciborio, ut vocant, vel circumgestatam in solennibus illis & magnificis

gnificis Pompis, Hostiam (vt nominârunt, quæ tamen reuera, extra institutum Vsum, nihil aliud est, quàm merus Panis) summo reuerentiæ & Venerationis cultu ac gestu tanquam Christum ipsum, Dei & Mariæ Filium, verè ibi præsentem, inclusum, & ad arbitrium Sacrificulorum huc illuc circumgestatum, voluerunt adorari, qua Idolatria quid obsecrari potest fingi horribilius?

Legimus Exodi 32. Deut. 9. Deum seria ira exarsisse, adeo, vt voluerit vniuersum populum Israël, eductum ex Ægypto, semel delere, & summum Sacerdotem Aaronem conterere, & vix placari potuisse ardentissima deprecatione Moisis, & Zelo eiusdem,  
vna

vna cum filijs Leui armata manu  
 transeuntis per totam castrorum  
 longitudinem, sternentis ac truci-  
 dantis obuios quosque ad tria mil-  
 lia hominum, vno die, non habita-  
 ratione vicini, amici, fratris quoq.  
 Causam autem huius flagrantissi-  
 ma irae legimus ibidem fuisse,  
 quod commorante diutius Moise in  
 monte Horeb, Israëlitae conflatum  
 ex auro vitulum erexerant, cui  
 post extractam aram & macta-  
 tas victimas instituta solenni festi-  
 uitate acclamabant: **HI SVNT**  
**DEI TVI, ISRAEL, QUI**  
**TE EDUXERVNT DE**  
**TERRA AEGYPTI.**

Neque vero illi tam fuerunt  
 tum stupidi, vt hoc ipsum aurum  
 existimarent sua Substantia mu-  
 tatum

tatum in essentiam veri Dei, per se adorandum esse, sed more Ægyptiorum colere volebant Deum, sub hac imagine aurei vituli, ut hæc species Bovis, quæ Apis nominabatur ab Ægyptijs, commonefaceret ipsos de beneficijs veri Dei, à quo annis amplius ducentis fuerant nutriti & saginati abundantia frumenti, carniū, piscium & aliarum rerum bonarum in Ægypto, regione feracissima frugum, quarum cultura Bos seruit in aratione agri ante sationem, & in tritura frumenti iam comportati in aream.

Volebant igitur hoc cultu, festiuitate, & sacrificijs exorare Deum illum, à quo ita lautè fuerant aliti in Ægypto, ut reduceret in abundantissimam regionem Ægypti

Ægypti hanc ærumnosam multitudinem, contabescentem fame & siti in sterili arena, & arentibus rupibus deserti, non recusantem etiam illam tristem seruitutem denudò subire, potius, quàm videre miserimas Coniuges suas, infantes, & alios liberos in his incultis & sterilibus locis fame extinguui, quo mortis genere nullum aliud creditur esse atrocius & detestabilius.

Cum hac Idolatria, quæ tantopere Deum offendit, si conferamus eam, quam Transsubstantiationis figmentum inuexit in Ecclesiam, inueniemus profecto, eam multò esse tetriciorem & abominandam magis. Iudei enim substantiam auri reliquam esse non ignorabant, & facilè intelligere poterant,



rant, ab hoc vitulo se non potuisse  
 educi ex Ægypto, qui aliquandiu  
 post exitum fusus & formatus,  
 nec vitam ipse, nec sensum, nec effi-  
 caciā ullam habebat. Sed erat hic  
 vitulus tantum signum erectum ad  
 commonefaciendum populum, ut  
 illud numen pro vero Deo agnos-  
 ceret, quod ab Ægyptijs coleba-  
 tur in specie Bovis. Ideoque hic  
 cultus vituli, erat abnegatio &  
 reiectio veri Dei, qui se Patribus  
 patefecerat, & tot testimonijs præ-  
 sentem se ostenderat Moysi, & ipsi  
 Populo, ante educationem et in edu-  
 ctione, quam tetram ingratitude-  
 nem Deus Zelotes ferre non pote-  
 rat.

At in Papistica Transsubstan-  
 tiatione fingitur, hoc ipsum, quod  
 manibus Sacerdotis tractatur,  
 ante

ante & extra vsum Cœnæ, quod populo ostenditur, quod pyxidi Crystallinae auro ornatæ inclusum circumgestatur, non esse amplius panem, sed re ipsa & substantialiter esse Christum Filium Dei & hominem, fallentem tamen sensus hominum sub specie, Figura, Colore, & alijs accidentibus Panis.

Iam cogita mihi pie Lector, per Deum immortalem, quid possit fingi aut cogitari abominabilius, & à Verbo, quo se Deus & suam voluntatem patefecit, alienius & abhorrentius, quàm de particula azymi panis, ab homine in hanc Figuram formati, & tosti in furno, asseuerare, quod sit Substantia sua Deus, atque ita creaturæ, factæ ad sustentationem humani cora

ius corporalis vitæ, diuina Crea-  
 toris bonitate quotannis productæ  
 ex terra, & industria hominum  
 præparatæ in cibum ventris, tri-  
 buere honorem, laudes, & bene-  
 ficia Filio Dei propria? Quid  
 enim aliud facit Sacrificus, quan-  
 do aurea trabea indutus, & in-  
 ter duos vel Reges interdum  
 vel Principes incedens, sub au-  
 reo vel serico vmbaculo, quod  
 (gestatum à summi ordinis viris  
 quatuor) Cælum nominant, ma-  
 nibus gestans altè elatam auream  
 Pyramidem, cui insertum conse-  
 cratum panem in Crystallino Cy-  
 lindro omnibus ostentat, coram  
 quo omnes prætereuntes vel astan-  
 tes vult prosterni in genua, & om-  
 nes seriæ venerationis & adora-  
 tionis ardentis ac deuotæ gestus  
 ac signa

ac signa edere: quàm quod hoc tacite ad populum dicit: Ecce Christiani, hoc quod in manibus meis teneo, quod vobis ostendo, quod auro inclusum circumfero, non est panis, ut putatis, imò nihil habet panis, nisi illam speciem, quæ foris incurrit in sensus, sed est ipsissimus Filius Dei incarnatus, æternus λόγος Patris, per quem omnia facta sunt, in quo est vita, qui est lux hominum, qui assumpta carne Vestra persolvit λύτρον reconcilians genus humanum Deo, qui à morte, à potestate diaboli, ab æterna damnatione liberatos vos, restituit apud Deum in gratiam. Hic est ille agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Hæc omnia, & alia, quæ vni  
Filio

Filio Dei verè & iustissimè tribuuntur in scriptura, attribuere illi massulæ triticeæ, quam Sacrificus circumgestatâ ostentat, quanta sit dementia, impietas & contumelia in Filium Dei, & in æternum ipsius Patrem, nullius hominis, ac ne Angeli quidem mens satis concipere aut cogitare potest.

Et quamuis negent Pontificij, hæc se Pani assignare, tamen reuera & hæc beneficia Filij Dei, & hunc Venerationis & adorationis honorem Pani tribuunt, dum contendunt, post recitationem verborum factam à Sacerdote, per transelementationē, hoc ipsum, quod Sacrificus manibus portat, aut eleuatum ostendit, fieri & esse & credi debere ipsissimum Filium Dei.

Dei incarnatum, crucifixum pro  
 nobis & resuscitatum, & pro Fi-  
 lio Dei ab omnibus adorari, &  
 summa <sup>κατασκευα</sup> coli, quæ soli Deo  
 competit, quæ nominatur adora-  
 tio facta fide, spe, & dilectione,  
 cum tamen ex Christi verbis in-  
 fra probaturi simus, & ex Paulo  
 & consensu veterum manifestissi-  
 mè constet, accipi & comedi ve-  
 rum Panem sua Substantia inte-  
 grum, & experientia quoque teste-  
 tur, illud ipsum, quod manibus suis  
 tractat Sacerdos, quod in Ciborio,  
 ut vocant, asseruat, quod in au-  
 rea Pyramide circumfert, reverè  
 Panem esse, non tantum acciden-  
 tibus & specie, sed etiam Substan-  
 tia, utpote omnia patientem & fa-  
 cientem, quæ naturæ ac substan-  
 tiæ Panis sunt propria. Copiose

H enim

enim simul sumptus replet ventriculum, sedat famem, roborat vires, auget Sanguinem & Spiritus, ut alius Panis, Mucescit item vetustate, & situm contrahit in loco humido reconditus, adeditur à tinea, negligentius custoditus, ardeat roditur & consumitur à Musculis, recipit & retinet & admixtum suae Substantiae in corpus hominis importat venenum letale, sicut legimus Henricum VII. Luxemburgensem Imperatorem Romae esse extinctum, veneno porrecto in pane Eucharistiae, à Monacho Senensi, ordinis Praedicatorum, cum certè Figura, magnitudo, sapor & alia accidentia Panis sola, si nulla subsit Substantia, nec consistere possint, nec implere ventriculum, nec saturare quenquam,

nec

nec veneno ita infici, ut homini sano violentam mortem concili-  
ent.

Cum igitur ex hac Pontifi-  
ciorum Transsubstantiatione hæc  
horribilis ἀπολατρεία in Ecclesi-  
am irruerit, & miseros homines  
ad stuporem usque fascinosos &  
dementatos tenuerit hætenus, &  
quod profectò admirandum & de-  
plorandum est, adhuc in aliquibus  
locis teneat, & magna supplicio-  
rum acerbitate defendatur, & sta-  
biliatur, meritò execramur & de-  
testamur hoc perniciosum Mona-  
chorum somnium, de annihilatio-  
ne Panis, & successione Corporis  
Christi in locum aboliti Panis.

Sed quia, ut suprâ etiam di-  
ctum est, Error omnis fœcundus  
H 2 est,



est, ex eodem commento suam originem accepit etiam Missa angularis seu priuata Pontificiorum, de qua dixerunt, quòd propter hanc Transselementationem, Sacrifici in Missa veram carnem & Sanguinem Christi, atque ita viuuum Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, suis manibus tenentes & leuantes, offerant cœlesti Patri, ad placationem iræ ipsius aduersus peccata, sua, & aliorum, & quòd huius Sacrificij & oblationis tanta sit dignitas, sanctitas & efficacia, vt ipsum opus eo ritu peractum, quem præscriptum habent, seu, vt ipsi loquuntur, ex opere operato, sine discrimine, sit ne minister idoneus vel minus, pius vel profanus, fidelis,

lis, vel infidelis, mereatur & impetra-  
 tret integram & plenam remissio-  
 nem peccatorum facienti hoc opus,  
 & adstantibus, vel mercantibus,  
 tam defunctis, quàm uiuentibus,  
 super quo fundamento totus Papa-  
 tus exstructus, ad summum postea  
 dignitatis, Potentiæ, & opulen-  
 tiæ fastigium peruenit.

Hinc fuit, quod administra-  
 turis hoc Sacrificium, Coniugio in-  
 terdictum fuit, nec ad celebratio-  
 nem huius sancti operis ulli admis-  
 si sunt, nisi prius coniugij diuini-  
 tus ordinati legitimum vsum ab-  
 iurassent, & voto se singulari ad  
 cœlibatum adstrinxissent, vt es-  
 sent mundiores ad tanti sacrificij  
 administrationem.

Tandem vt suam authorita-  
 tem magis confirmaret Papa, &

hunc ordinem Sacerdotalem longius à Laicorum turba discerneret, & augustiorem redderet, ausus est arcere Laicos à societate Sanguinis Christi in Cœna, & Calicem Domini semel ereptum miseræ plebi, & translatum ad unum ordinem Presbyterorum, adhuc recusat restituere, imò illam suam rapinam & Sacrilegium, pugnans cum expressissimo verbo Christi: **Bibite ex hoc OMNES,** igne & gladio defendere non veretur.

Et quanquam maluisset etiam Corpus Christi Laicis denegare, atque ita totam Cœnam sibi soli & suo gregi reseruare, ut is per hanc tam insignem seiunctionem fieret conspectior, sanctior & dignior in animis vulgi, tamen cum eò impudens

prudentiæ nulla specie & præte-  
 xtu procedere posset, id saltem  
 tentavit & effecit, quod obtinere  
 potuit, ut semel tantum in anno  
 permitteret Laico, circa Pascha-  
 tis tempus, vel ad summum ter in  
 tribus summis festis mutilatam  
 Cœnam usurpare, idque cum ma-  
 xima carnificina & terroribus  
 conscientiarum, quæ excrucian-  
 tur primum sollicitudine enume-  
 randorum delictorum, in Confes-  
 sione: Deinde onerabantur multi-  
 tudine & difficultate satisfactio-  
 num, & in hoc studio obediendi  
 quatiebantur perpetuis fluctibus  
 dubitationum, anxie in sese inqui-  
 rentes, num sufficientem habuis-  
 sent contritionem? num omnia sua  
 peccata integre enumerassent? num  
 opera Satisfactionum imposita à

Sacrificio aut Monacho, ritè præstitissent? atque ita dignè possent Carnem Christi in Cœna percipere?

Hac sc̄ua Tyrannide Pontifex miserrimæ plebeculæ hanc salutarem Cœnam, mutilatam prius, & tamen sic quoque etiam tot anxietatum & terrorum causis conditam, adeò formidabilem & inuisam reddidit, vt cum ibi resurrectionem & sanationem languentis & sauciatae conscientiā suæ, petere possent & deberent, multi maiore fermè cum sollicitudine & trepidatione à mensa Domini recederent, quàm accesserant, semper metuentes, ne vel Contritio, vel Confessio, vel Satisfactio aliquid vicij aut imperfectionis habuisset, propter quam indignè comedere

medentes, iudicium sibi manducassent, et Rei facti essent Sanctissimi Corporis Christi, atrocibus poenis vindicaturi hunc abusum Coenae suae.

Tantum Chaos horribilis Idolatriae & multiplicium abusuum, mutilationis & deformationis Sacratissimae Coenae, tantam carnificinam, & tormenta miserarum Conscientiarum, & alia ingentia & innumerabilia mala, inuexit in Ecclesiam verus Antichristus, hoc est, destructor, mutilator, & euerfor operum & ordinationum Christi, & homicida animarum, Papa Romanus, quicumque author & confirmator fuit commentitiae istius Transsubstantiationis, quam qui adhuc defendunt & atrocitate suppliciorum stabiliunt, aut quae sit

tis fucis excusant & palliant, eorundem malorum se reos, & pœnarum haud dubiè secuturarum participes faciunt.

Ex animo igitur detestamur hanc Transfementationem Panis, & durantem etiam extra usum Cœnæ, inclusionem Corporis Christi in speciem annihilati Panis cum eam & tantorum malorum causam, & verbis Christi contrariam esse, agnoscamus, quam imprimis refutat Paulus, cum verba Christi sic declarat, ut dicat Panem esse κοινωνίαν Corporis Christi, & id, quod manducatur in Cœnâ, aliquoties nominet Panem, ut cum dicit, 1. Corinth. 10. Omnes de vno PANE Participamus. Item cap. 11. Quotiescunq̄ue manducabitis PANEM hunc, mortem

Domini

Domini annuntiabit. Item, *Quicumque* manducauerit *PANEM* hunc, & biberit *Calicem Domini* indignè. Item, Probet autem homo se ipsum, & sic de *PANE* illo edat. Ex quibus *Pauli* dictis manifestissimum est, in *Cœna* non tantum speciem & accidentia *Panis*, sed ipsam etiam *Substantiam* esse & manere secundum naturam suam.

Quamobrem clarè profiteamur, nos, sicut in alijs pluribus partibus doctrinæ *Ecclesiasticæ*, ita & in hac parte, dissentire à *Papa* & adiunctis illi, nec velle nec posse approbare, hoc cum *Verbo Dei* pugnans commentum de *Transsubstantiatione*, & durabili affixione *Corporis Christi*, inclusi in speciem annihilati *Panis*, sed & hoc ipsum  
somnia



somnium, & super eo extractos  
 horrendos abusos, quales sunt:  
 Adoratio Panis, Sacrificium Mis-  
 se, mutilatio Cœnæ, & alia mala,  
 vt manifestam Idolatriam & abo-  
 minationem, damnare & reijce-  
 re, Sicut monet grauissimum di-  
 ctum Pauli: Si quis uobis Eua-  
 gelizauerit, PRÆTER  
 id, quod accepistis, Anathema  
 sit. De Cœna autem expressè in-  
 quit: A DOMINO acce-  
 pi, quod & tradidi uobis. Hinc  
 cum prorsus contraria & aliena  
 importauerit Papa in Ecclesiam,  
 meritò illa vt Anathema abomi-  
 namur.

Contra nimium  
 RECEDENTES  
 à Litera,

Erba

**E** Regione sunt alij, quorum no-  
 stro tempore Principes fuere,  
 Carlostadius & Zuinglius, qui  
 in expositione horum verborum:  
 Hoc est Corpus meum, quod pro  
 vobis datur, nimis procul disce-  
 dunt à proprietate verborum, &  
 volunt illa pro figuratis locutio-  
 nibus accipi, quarum alius sit sen-  
 sus, quàm vocabula sonent. Aspi-  
 ciunt enim hæc verba & iudicant,  
 iuxta Rationis lumen, & quærunt,  
 An etiam fieri possit, vt hic Pa-  
 nis, qui comeditur, sit corpus Chri-  
 sti, vel, vt Paulus explicat (quem  
 meritò ac tutò sequimur) Commu-  
 nicatio verè præsentis corporis,  
 & sibi ostendi volunt modum, quo  
 id fieri queat. Et quando indica-  
 ri illis, & ob oculos quasi poni &  
 pingi & Geometricis diagramma-  
 tis de-

tis demonstrari modus possibilitatis  
 & praesentiae corporis non potest,  
 & subiicitur, haec quia cerni  
 & comprehendi ratione non possunt,  
 reuerenter credenda esse, ideo  
 maximè, quia ea dixerit tantus  
 Dominus, paulò ante mortem suam,  
 instituens nouum & ad finem  
 mundi usque duraturum Testamentum:  
 non acquiescunt, propterea, quod  
 Rationis suae acumine hoc non  
 queunt perspicere, & excogitare,  
 quomodo fieri possit, ut Corpus  
 Christi in Coena verè adsit &  
 manducetur, quod in caelum ascendit,  
 & sedet ad dextram Dei Patris,  
 appariturum in nouissimo demum  
 die tale, quale hinc ablatum est.

Acto. I.

Ideoque postquam suae Rationis  
 luci semel iudicanda & censenda  
 sub

da subiecerunt hæc Christi verba,  
 in illa autem nullam possibilitatis  
 viam reperiunt, quæ rem consen-  
 taneam & vero similem & com-  
 prehensibilem reddat, sed contrà  
 prehendunt multa absurda &  
 inexplicabilia inde sequi, si verba  
 in propria significatione, iuxta  
 Pauli declarationem, de vera præ-  
 sentia Corporis accipi deberent:  
 confugiunt ad Troporum subsi-  
 dium, quod alij aliter adhibent, in  
 hoc tamen consentientes: quòd  
 Panis, ut Symbolum, tantum si-  
 gnificet Corpus Christi absens, &  
 quòd ore aliud nihil, quàm merus  
 Panis & Vinum accipiatur, Cor-  
 pus verò, quod in cælo est, unà  
 cum tota sua efficacia & benefi-  
 cijs, tantum fide, atque adeo spiri-  
 tualiter manducetur, similiter &  
 sano

*Sanguis, quem Vinum designet,  
tantum fide spiritualiter bibatur.*

**Argumenta eorū,  
qui præsentiam corporis in  
Cœna negant.**

**V**T autem hanc suam tropicam  
Verborum Christi expositionem  
verisimilem auditori faciant,  
multis sane speciosis argumentis  
utuntur, quorum unum sumitur  
ex Regula, quæ à veteribus Scri-  
ptoribus & recentibus sæpe usur-  
pata, talis est:

**I.** *Quandocumq; in scriptura Sa-  
Regula. cra, dictum aliquod occurrit, quod  
servata proprietate vocabulorum,  
& literalis sensu, aliquid præcipere  
videat*

videatur, quod palàm impium, & legi diuinæ contrarium est, vel cum alijs euidentibus dictis Scripturæ pugnat: tunc illud Figuratè accipi debere, & quærendam esse commodam sententiam verborum illorum, quæ nihil absurdi contineat, & in alia manifesta testimonia Scripturæ, aut alios Articulos fidei, non impingat.

Exemplum sumamus ex dicto Christi, Matth: 5. cum inquit: Si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proijce ab te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm ut totum corpus tuum mittatur in Gehennam.

Si in hoc dicto τὸ ἕκτῳ seruari deberet, & fieri, quod verba, simpliciter

pliciter & propriè intellecta, præ-  
 cipiunt, multi essent habituri caus-  
 sam & necessitatem, ratione huius  
 mandati, mutilandi seipsos, vel  
 etiam occidendi, quod pugnat ma-  
 nifestè cum 5. præcepto Decalogi:  
 1. Teß. 4. Non occides, & cum Pauli dicto,  
 Coloss. 2. quo iubet honorem tribui corpori.  
 Quare iuxta suprà scriptam Re-  
 gulam, hæc verba, non vt sonant,  
 intelligenda sunt, de oculis corpo-  
 ris, sed de prauis cupiditatibus, &  
 incendijs malorum affectuum in  
 corde, quæ per oculos accendun-  
 tur, & excitantur.

Item verbum, eruere, intelligi  
 debet de spiritali euulsione &  
 mortificatione talium affectuum  
 prauorum cordis.

Vel certè dexter oculus signi-  
 ficat præcipuum nostrum Ducem,  
 guber-

gubernatorem, Doctorem, & consiliarium, à quo lucem, doctrinam, consilium, institutionem habemus, & accipere debemus, quando ille nos corrumpere aut depravare velle videtur, instillans corruptelas doctrinae caelestis, vel exemplis viciosis nos seducens, iubemur hoc dicto Christi, talem, quantumvis nobis carum, commodum, auctoritate & donis vel meritis insignem Doctorem, vitare, à nobis seiungere, eius consuetudinem fugere, & malle carere institutione, vel alijs commodis, quæ ab ipso accipere potuissimus, atque ita quasi altero capti oculo esse, hoc est, sine Doctore, sine Consiliario & gubernatore esse malle, quam cum periculo animæ talia ab illo discere aut accipere, quæ nos indu-



cere in perniciosos errores, in ter-  
tros lapsus, & horrendas pœnas  
& exitium possent.

Eandem rationem quærendæ  
commodæ sententiæ dicunt hic  
quoque adhibendam esse in Ver-  
bis Christi, quibus Sacrosancta  
Cœna est instituta.

- Quia enim propriissimè acce-  
pta *κατὰ τὸ ἔντοπ*, quandam IM-  
2. POSSIBILITATEM sta-  
tuere videntur, & multa AB-  
3. SURDA complectuntur, quor-  
um declaratio fieri, aut ratio reda-  
di nulla illustris & probabilis  
possit: & præterea impingere vi-  
4. dentur in Articulum fidei nostræ,  
de Ascensu Christi in cœlos, &  
sessione ad dextram æterni Pa-  
tris: & alijs quibusdam sententijs  
Scri-

Scripturæ aduersari, nisi commoda interpretatione molliantur: omnino censent confugiendum esse ad Troporum subsidium, ut ceu figuratè dicta accipiantur illa verba, & tali interpretatione declarentur, quæ & Impossibilitatem omnem, ac Absurda, inde consequentia, excludat, & omnem implicationem Contradictionis in articulis Fidei, & manifestis Scripturæ testimonijs, euitet.

Præterea hanc suam interpretationem conantur tueri testimonijs veterum quorundam Scriptorum Ecclesiasticorum, quorum sanè extant quædam dicta eiusmodi, quæ si nudè excerpta aspiciantur, non considerato toto opere Scriptorum, videantur arguere,

ipſos Panem & Vinum in Cœna  
Dominica tantum pro nudis Sym-  
bolis & figuris procul abſentis  
corporis & ſanguinis Chriſti acce-  
piſſe.

7. Inprimis verò hoc magnificè  
efferunt, confirmari & ſtabiliri  
Miſſæ Papifticæ abominationem,  
Panis adorationem, & alios tetros  
abusus Pontificios, ſi vera corpo-  
ris & ſanguinis Chriſti præſentia  
in Cœna Dominica ſtatuatur &  
defendatur.

8. Aliqui etiam hoc argumento  
ſuam illam ſententiam muniunt,  
quòd vera præſentia Corporis &  
Sanguinis Chriſti in Cœna, præ-  
ter id, quòd impoſſibilis eſſe videa-  
tur, etiam neque neceſſaria neque  
vtilis ſit, ideoque cauſam nullam  
dicunt.

dicunt esse, cur pro ea tantopere  
laboremus & pugnemus.

Hæc fermè sunt præcipua ful-  
cra & bases, quibus Zuinglius &  
huius discipuli suum ædificium de  
Spirituali sola manducatione Cor-  
poris Christi in Cœna, operosè ex-  
tractum, imposuerunt, cui postea  
addunt magna varietate illustri-  
um similitudinum & splendentium  
imaginum picturas & ornamen-  
ta, quæ omnino propter concinni-  
tatem valde adblandiuntur Ra-  
tioni, alioqui curiosæ, & impa-  
tienti absurditatum, quas illi vox  
diuina obijcit, & requirenti in  
Patefactionibus diuinis idem hoc,  
quod Alexander Magnus à suo  
præceptore, sanè arguto & spino-  
so interdum Doctore, Aristotele,

postulasse scribitur : **DOCE  
ME FACILIA** : hoc est, talia,  
quæ à me sine difficili & operosa  
ratiocinatione perspici, & intelli-  
gi, & quasi oculis præsentia cerui  
possunt.

Etsi igitur hæc figurata ver-  
borum Christi interpretatio spes-  
ciosa, & vt Rationi consentanea,  
ingeniosis maximè grata est, imò  
etiam pios & verbi diuini amans  
tes & reuerentes interdum tur-  
bat, cum videant illa, quæ contra  
veram præsentiam Corporis Chris-  
sti in Cæna, à Sapientibus & acu-  
tis hominibus excogitantur, & ob-  
ijciuntur, non ita perspicuis &  
illustribus refutationibus discuti  
posse, quæ satisfaciant naturali in-  
telligentiæ & perspicacitati, non  
facile patienti sese à simplicitate  
verbi

Verbi diuini coherceri & retundi,  
 & quasi constringi & captiuari,  
 ad solius fidei & credulitatis nor-  
 mam: Tamen è contrario insignes  
 & graues causas habemus, cur ijs  
 non assentiamur, & eadem cum il-  
 lis doceamus, probemus, & profi-  
 teamur, qui negant veram corpo-  
 ris & sanguinis Christi in Cœna  
 præsentiam, quas quidem mox  
 subycerem, nisi iudicarem conue-  
 nientius esse, prius respondere ad  
 hæc enumerata eorum fundamen-  
 ta, & rationem simul exponere,  
 cur istis speciosis argumentis non  
 moueamur, vt à proprietate ver-  
 borum Christi recedentes, cum  
 ipsis negare audeamus præsentia-  
 am cœlestis cibi & potus in Sacra-  
 tissima Cœna.

# I. Responsio ad REGULAM.

**Q**UOD igitur ad supra positam Regulam attinet, fatemur, eam utilem esse, & saepe necessariam commonefactionem tradere, de legitima & salubri & tuta scrutatione & interpretatione Scripturae, ne omnia, quae in Prophetis & Apostolicis scriptis leguntur, accipiantur & exponantur iuxta proprietatem verborum, seu, ut graeci dicunt, κατὰ τὸ ἔντοπ, quae uniformis & perpetua strictè seruata legendi Scripturas & interpretandi ratio, paritura esset multos horribiles errores, & multa tetra facinora, lege Dei prohibita, & poenis atrocibus digna, sicut & fanatica quaedam dogmata &

ta & fœdæ hæreses, & seditiones  
quoque inde exortæ sunt, quòd ali-  
qui conceptis suis imaginationi-  
bus, ac furoribus, & turbulentis  
actionibus, prætexerunt quæ-  
dam Scripturæ dicta obscura &  
figurata, quæ ipsi iuxta Literam  
accipi & intelligi debere conten-  
derunt, quales fuerunt, qui dicti  
sunt ἀνθρώπων μορφῆται, qui ea scri-  
pturæ dicta, quæ Deo oculos, au-  
res, cor & similes partes hominis  
& actiones humanis similes tri-  
buunt, intelligi volebant κατὰ τὸ  
ῥητόν.

Sic aliqui suis corporibus  
vim attulerunt, castrantes ipsi se-  
se, quod putarent illud dictum,  
Matth. 19. κατὰ τὸ ῥητόν intelligi  
debere: εἰσὶν ἐννοῦχοι, οἵτινες ἐκαστοῦ  
χίτου ἑαυτοὺς διὰ τὴν βασιλείαν αὐτῶν οὐ  
φανώμα.



socuūp, qui fædus error, inualescentē  
 te paulatim superstitione, & opi-  
 nione Monastica, de iusticia pro-  
 priorum operum & meritorum,  
 tot applausores inuenit, vt necesse  
 fuerit in Concilio prohibere publi-  
 co & seuerissimo decreto, hanc  
 corporis mutilationem, ex prauo  
 intellectu Sermonis Christi or-  
 tam, loquentis ibi figuratè de Con-  
 tinentia, & cælibatu vltro electo,  
 & castè seruato, ab ijs, qui pro-  
 pter muneris Prophetici vel Apo-  
 stolici vel Episcopalis difficilem,  
 & curarum ac periculorum con-  
 tinuorum plenissimam, guberna-  
 tionem, excutientem eis, & quasi  
 restinguentem in eis appetitum  
 coniugalis consociationis, nolue-  
 runt se alijs curis onerare aut im-  
 plicare, vt possent Deo in semel  
 impo-

imposito ministerio, fructuosius  
 & liberius seruire, non quod puta-  
 rent se illa Continentia aut cæli-  
 batus merituos esse regnum cælo-  
 rum, sicut Monachi de impurissi-  
 mo suo cælibatu gloriati sunt.

Sed rursus tamen hoc moneri  
 necesse est, hoc discrimen in Scri-  
 ptura seruari, vt quanquam Pro-  
 pheticæ narrationes & conciones,  
 in quibus declaratione Legis, &  
 Promissionum illustratione audi-  
 tores docentur, arguuntur, obiur-  
 gantur, pœnarum minis & denun-  
 ciatione terrentur, & rursus con-  
 solationibus eriguntur, plurimum  
 figuratè dictorum continent, &  
 quidem tam elegantes picturas ac  
 similitudines, aptissimè rerum ma-  
 gnitudinem & dignitatem aut in-  
 dignitatem

dignitatem exprimentes, adhibent, ut non facile in alijs linguis & scriptis eloquentium hominum, similes figurarum flosculi inveniuntur: tamen proprij & perspicui minimeque figurati sermonis ferme perpetuus vsus sit ibi, quando Deus patefactione suæ voluntatis, Articulum fidei condit, aut aliquid certi iubet fieri aut seruari, quod sit perpetuum testimonium suæ erga homines voluntatis, & suæ cum illis confæderationis, vel perpetua commonefactio & significatio certi officij & operis, ita ut velit Deus illud ipsum à se ordinatum ea ratione & modo, quem ipse tradidit, publicè & à certis, aut multis, aut singulis, & non aliter, semel, aut perpetuò, fieri & celebrari. Ut cum Deus  
 in Pa<sup>o</sup>

in Paradiso coniugalem societatem sancit talem, vt sit vnus maris cum vna foemina inseparabilis cohabitatio.

Cum Adæ permittens liberum vsu omnium fructuum totius horti, vnam arborem excipit, à qua abstinens homo suam erga conditorem obedientiam & reuerentiam declaret.

Cum Nohæ præcipit ædificationem nauis tectæ vndique, & diluuium prædicit, & arcum in signum clementiæ suæ in nubibus positum aspici iubet.

Cum Abrahæ Circumcisionem mandat, hæredem promittit, & eundem postea iam mediocriter adultum, & vigentem indole, & profectu in studijs verbi & pietatis,

tatis Patrique & matri decrepitis summè carum, mactari loco victimæ & comburi totum iubet.

Cum per Moïsen populo præcipit quotannis celebrandum certis ritibus esum Agni Paschalis, & post eductionem ex Ægypto alia Sacrificia & Ceremonias instituit, quæ hunc populum seungerent ab omnibus alijs gentibus, & simul significarent & quasi pingerent Personam, Officium, Passionem & Sacrificium & beneficia promissi & expectandi Messie.

In huiusmodi ordinationibus & mandatis certum est, Deum usum esse sermone proprio & perspicuo, minimeque figuris obscurato.

Simi

Similiter in scriptis Aposto-  
 licis, quando Christus docet de  
 Essentia Dei, de sua Persona &  
 Officio, cur venerit in hunc Mun-  
 dum, quando suam Passionem &  
 Resurrectionem prædicit, quando  
 sancit ministerium, quando insti-  
 tuit Baptismum, & alia, quæ vo-  
 luit in Ecclesia in sui memoriam  
 celebrari, usurpat propria verba,  
 quæ vult simpliciter accipi, in qui-  
 bus tamen singulis fermè partibus  
 doctrinæ & ordinationum, ali-  
 quid est, quod Rationi ignotum,  
 non modo impossibile & absur-  
 dum, verum etiam stultum & ri-  
 diculum esse videtur.

Sed nihilominus omnes tamen  
 hos, quibus illa ab initio per Pa-  
 triarchas & Prophetas, & postea

K per

per Christum ipsum dicta, promissa & mandata sunt, decuit & oportuit illam patefactionem & mandata Dei & Christi, in proprio intellectu simplici fide & reuerenti obedientia accipere & exequi, neque hoc permittere Rationi, ut ipsa tanquam Arbitra diuinae vocis, eam suo lumine & iudicio aestimatam, torqueat, & interpretetur, in quam velit sententiam, cum summo suo periculo, quod innumerabiles, tum in primis Patrum nostri Parentes Adam & Eua, qui cum crederent diabolo alienam sententiam Verbis Dei perspicuis & planis affingenti, & manifestam prohibitionem inobedientia sua violarent, sibi & toti posteritati suae attraxerunt has, quas

quas experimur omnes, calamitates & pœnas.

Iam verò omnes fateri necesse est, verba illa, quibus Cœnam suam instituit Dominus, non esse partem alicuius concionis, ad vulgus habitæ, in qua Christus per Parabolas, figuras, & dulces imagines aliquid monere aut docere voluerit, qualis est Concio totius XIII. capituli Matthæi, varias similitudines proponens, quibus Regnum Dei comparatur, & concio sexti capituli Iohannis de manducatione Carnis ipsius spirituali, & concio in capite 10. de Ovili & Ianua, & Matth. 5. vbi Discipulos suos dicit esse Salem terræ, & Lucem mundi, &c.

Sed prolata esse singulari cum

K 2

medi-



meditatione & circumſpectione,  
 in celebratione poſtrema Paſchalis  
 ritus, ad quam ardenti deſiderio ſe  
 acceſſiſſe dicit, cum iam acerbos  
 cruciatus & mortem ante oculos  
 ſuos cerneret, & cum ira Dei ad  
 uerſus peccata totius generis hu  
 mani, cum maledicto iuſtæ & im  
 motæ Legis Dei, & damnatione  
 ad æternam mortem & abiectio  
 nem, & cum Principe huius mun  
 di luſtaretur: Cum ſuis diſcipulis  
 quaſi vale dicens, toties ſuum di  
 ſceſſum ad Patrem per ignominio  
 ſam mortem ferme quarto quoque  
 verbo ingeminans præenunciaret:  
 Cum proditorem ſuum aſſidentem  
 eidem menſæ, coràm intueretur:  
 Cum diſcipulorum imbecillitatem,  
 & ſecuturam fugam, diſperſio  
 nem, tristes lapſus præſentiſceret  
 & pa

& palam prædiceret: Cum imma-  
 nem rabiem & seniciam excæcati  
 miserè Populi sui, et secuturas hor-  
 ribiles pœnas & exitium eiusdem,  
 animo suo volueret: Cum Eccle-  
 siæ, recens tot concionibus colle-  
 ctæ, & miraculorum testimonijs  
 confirmatæ, futuram consterna-  
 tionem, offensionem, & multo-  
 rum in illa tristem defectionem  
 præuideret: Vbi haud dubiè o-  
 mnes ipsius voces, gestus, actiones  
 & sanctiones, ex animo profectæ  
 valde commoto, & singulariter  
 affecto, serium aliquid præ se fer-  
 re etiam Apostolis sunt visæ.

Et hæc ipsa verba prolata  
 sunt singulari quodam cum gestu,  
 ad testificationem & præmonitio-  
 nem discipulorum, quod nouum

quiddam, & serium, & arduum  
 vellet sancire. Nam non solum  
 accipit Panem, & fractum distribu-  
 buit, verum etiam præmittit **BE-**  
**NEDITIONEM** seu gra-  
 tiarum actionem, ad commonefa-  
 ciendos discipulos, hunc Panem,  
 post peractam Cœnam distribu-  
 tum, non reliquo Pani æqualem æ-  
 stimandum, quem in esu Agni com-  
 mederant, sed ita accipiendum  
 esse, vt qui esset futurus commu-  
 nicatio præstantissimi pignoris,  
 Corporis videlicet sui, cui pro-  
 pterea etiam appellationem Corpo-  
 ris tribuit.

Similiter ante quàm acceptum  
 Calicem discipulis inter se partien-  
 dum porrigit, hanc moram inter-  
 ponit, vt tanquam in re magna &  
 serua, eandem gratiarum actio-  
 nem

nem, seu vt Marcus loquitur, Benedictionem repetat, sicut consueuerat facere antea quoque, quoties per cibum aliquod singulare testimonium suæ potentia & benignitatis edere voluit.

Vt cum quinque millia hominum quinque hordeaceis panibus saturaturus erat, quod supra naturam & incredibile etiam tunc ipsis Apostolis videbatur, tribuunt Matthæus 14. Marcus 6. Lucas 9. capite Christo pariter hæc verba: ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐλόγησεν, Iohannes verò capite 6. inquit: καὶ εὐχαριστήσας δέδωκε τοῖς μαθηταῖς.

Item cum septem panibus 4. millia virorum pascere vellet, eodem modo dicunt Matthæus 15. & Marcus 8. capite: εὐχαριστήσας ἐκλάσεν.

Sic & post institutam Cœnam  
 & Resurrectionem suam, cum duobus  
 discipulis oculos aperturus,  
 & sese, prius non agnitum in toto  
 itinere, patefacturus esset, dicitur  
 à Luca capite 24. λαβὼν τὸν ἄρτον,  
 εὐλόγησε, καὶ κλάσας, ἔπειθ' ἶδου αὐτοῖς,  
 & additur: αὐτῶν δὲ διήνοιχθησαν  
 οἱ ὀφθαλμοί, καὶ ἐπέγνωσαν αὐτόν.

Et ipsi postea duo discipuli,  
 fratribus suis nunciantes hanc Do-  
 mini apparitionem, exponunt:  
 ὡς ἐγνώσθη αὐτοῖς ἐν τῇ κλάσει τ' ἄρτου,  
 quòd cognitus sit ab ipsis ex fra-  
 ctione Panis, eius videlicet, cui  
 ipse Dominus benedixerat, quem  
 ex longo sermone, per totum iter  
 habito, quo ipsis scripturas aperue-  
 rat, & novos in corde motus accen-  
 derat, agnoscere planè non potue-  
 rant.

Ex quibus testimonijs manifestum est, hanc benedicendi seu gratias agendi formam, cum singulari ferè semper efficacia usurpatam, Apostolis benè notam fuisse, & certo indicio tunc quoque fuisse, Dominum hoc gestu ipsam rem arduam, & maximi ac efficacis Mysteriorum institutionem commendare velle.

Quare hoc ritu Benedictionis, quasi  $\pi\rho\omicron\epsilon\omega\iota\pi\lambda\eta\theta\epsilon\alpha$  quadam admonitione Discipuli, illa ipsa verba institutionis & omnes gestus Domini diligentius & attentius obseruauerunt, perpenderunt, & mentibus infixerunt, & tanto cum consensu scripta à se historie inseruerunt, præsertim cum audirent, ijs verbis tale quiddam etiam ordinari & institui, quod posthac semper, &

vt Paulus testatur, ad reditum  
 vsque Domini, inter ipsos & in  
 vniuersa Ecclesia, per totum or-  
 bem terrarum diffundenda, in om-  
 nibus publicis congressibus debe-  
 ret celebrari; & vsurpari, tam-  
 quam certissimum pignus gratiae  
 & clementiae ipsius, in cuius vsu  
 omnes admonerentur de morte &  
 de beneficijs per eam partis, de quae  
 illis, accepto hoc pignore, sese sin-  
 guli confirmarent, sicut ipse Do-  
 minus iubet: Hoc facite in mei  
 commemorationem.

Cum igitur haec verba, de quibus  
 nunc controuertitur, à Chri-  
 sto enunciata sint illo postremo &  
 maestissimo tempore, paulò ante,  
 quam ad supplicium traderetur,  
 quando iam valediceret, vt breui  
 moris

moriturus, discipulis suis, quos ta-  
 men, vt consolaretur, ceu Testa-  
 mento condito, voluit confirmare  
 prius, de perpetua sua praesentia  
 in Ecclesia, & communicatione  
 bonorum suorum: Cumque ea ver-  
 ba prolata sint. cum singulari ritu  
 Benedictionis in institutione talis  
 Mysterij, Quod duraturum erat ad  
 finem vsque mundi, Quod futurum  
 erat perpetuum pignus & quasi ob-  
 signatio noui Testamenti, & per-  
 ennis recordatio vniuersae Pas-  
 sionis ipsius, Quod erat futurum  
 ratificatio & confirmatio illius  
 fraternae coniunctionis & confae-  
 derationis, quam cum discipulis  
 suis in illa conuersatione dulcissi-  
 ma super terra fecerat, Quod co-  
 agmentaturum & copulaturum  
 erat omnia membra Ecclesiae in  
 vnum



unum solidum Corpus, Quod erit  
 futurum nota Confessionis publi-  
 cæ, discernens membra Ecclesiæ  
 ab hostibus Filij Dei: Nequaquam  
 est verisimile, Christum in insti-  
 tutione tanti Sacramenti, voluisse  
 figuratis locutionibus suspendere,  
 & quasi ludificari, suos mæstos di-  
 scipulos, & obscurare hoc ipsum,  
 quod in sui commemorationem sæ-  
 pius fieri tanta cum seueritate præ-  
 cipit.

Non igitur habet locum hic,  
 suprâ posita Regula, neque conce-  
 di potest, vt iuxta eam, verba hæc  
 in Cœnæ figuratè exponantur,  
 cui alioqui in multis dictis Christi  
 suum locum meritò & libenter re-  
 linquimus, quæ figurarum sub-  
 sidio declarari debere concedimus,  
 ad euitandas absurditates, seque-  
 turas,

turas, si propriè κατὰ τὸ ἕκαστον Verba  
 illa acciperentur. Sed in institu-  
 tione tanti Mysterij rectè insisti-  
 mus τοῖς ἁγίοις, intelligentes Verba  
 simpliciter de rebus, quas signifi-  
 cant, iuxta declarationem Pauli,  
 qui, si vocabula illa, quibus à Chri-  
 sto Cœna sancita est, oporteret fi-  
 guratè intelligi, aut sic ab Aposto-  
 lis tunc intellecta fuissent, haud du-  
 biè illos ipsos Tropos illustriori de-  
 claratione expressisset, cum Episto-  
 lam suã ad Corinthios aliquot an-  
 nis post celebrationem primæ Cœ-  
 næ scripserit, neq; permissurus fuis-  
 set, ut omnes Ecclesiæ inter Ethni-  
 cos, in quibus Euangelyj doctrinam  
 plantauerat, & Verum ac legiti-  
 mum Usum Sacramentorum do-  
 cuerat, perpetuò hæerent in hoc  
 errore, ut crederent iuxta lite-  
 ram,

ram, se in Cœna, sumpto Panem,  
 accipere ac comedere verum Cor-  
 pus Christi, cum scire deberent,  
 Panem figuratè tantum significa-  
 re absens Corpus Christi. Imò  
 ipsos Apostolos reprehensurus fu-  
 isset, accipientes verba Christi  
 κατὰ τὸ ἔκτὸς, si sciuisset, hanc fu-  
 isse mentem & voluntatem Chri-  
 sti, vt vocabula, quibus Cœnam  
 suam ordinauit, non propriè, sed  
 figuratè intelligantur, sicut alio-  
 qui non veritus est Petro in faci-  
 em resistere, non recto pede ince-  
 denti iuxta veritatem Euangelij,  
 Galat. 2.

Imò Christus ipse arguisset erro-  
 ris huius, suos Discipulos, quòd  
 illa dicta, quæ ipse figuratè intelli-  
 gi voluisset, vt parum considerati  
 & attenti auditores, propriè acci-  
 perent,

ciperent, & rectius instituisset,  
 & mentes ipsorum auulsas ab illo  
 crasso & literali intellectu, tradu-  
 xisset ad facilem & concinnam fi-  
 gurarum cogitationem, sicut eos  
 antea quoque aliquoties & obiur-  
 gavit, propter perperam intelle-  
 cta dicta sua, & planiore decla-  
 ratione verborum suorum, erro-  
 rem ipsorum mentibus exemit,  
 maximè verò, cum illis figuratè  
 dicta ipsi simpliciter, iuxta signi-  
 ficationis proprietatem, accipe-  
 rent.

Vt cum dixerat Matth. 16.  
 Cauete uobis à Fermento Phari-  
 saeorum & Sadducaeorum.  
 Hoc dictum Christi cum Apostoli  
 intellexissent, sicut verba sonant,  
 de vero fermentato pane, existi-  
 mantes se à Magistro suo obiur-  
 gari,

gari, propterea, quòd panes obliti  
 essent secum in nauim accipere,  
 traieēturi lacum Genesareth, vnde  
 de alterutrum consecuturum esset,  
 vt aut ieiunare diutius, aut panes  
 precario à Phariseis & Saddu-  
 cæis aduersarijs imò hostibus suis  
 petere cogantur: duriter à Chri-  
 sto compellantur, reprehendente  
 simul & hunc sinistram & crassum  
 intellectum literalem eius dicti,  
 quod ipse figuratè voluerat accipi:  
 & sollicitudinem de victu, quòd  
 propter penuriam panum metue-  
 rent se fame perituros esse. Ait  
 enim, *Quid cogitatis inter vos,*  
*ὄλιγόπιστοι*, eo quòd panes non ac-  
 cepistis? Nondum intelligitis?  
 Neque recordamini quinque pa-  
 num & quinque millium homi-  
 num, & quot sportas sumpseritis?  
 Qui

Qui fit, quod non intelligitis, me non de pane vobis dixisse, cum iussi cauere à Fermento Pharisæorum & Sadducæorum? Tunc intellexerunt quòd non dixerit, Cauendum à Fermento Panum, sed à **DOCTRINA** Pharisæorum & Sadducæorum, id est, animaduenterunt se errasse, accipientes verba Christi, κατὰ τὸ ἔντοπ, quæ figuratè fuerant intelligenda.

Ita Iohannis II. cum dixisset Iesus: Lazarus amicus noster **DORMIT**, sed vado, ἵνα ἴδω τὴν ἰσυχὴν αὐτοῦ, vt à **SOMNO** exuscitem eum, Discipuli autem intelligentes verba Magistri sui κατὰ τὸ ἔντοπ, περὶ τῆς κοιμήσεως τοῦ ὕπνου, vt textus inquit: de naturali somno, seu quiete animalis virtutis

L      impe

impediente ad tempus exiguum,  
 sensus, & motum membrorum, di-  
 cerent cum leticia: Si dormit,  
 saluus erit: rursus corripit &  
 corrigit Dominus sinistrum in-  
 tellectum verborum suorum, di-  
 cens eis παρρησια, sine inuolucris &  
 ambiguitate: Lazarus <sup>ὁ νεκρὸς</sup>  
 iam **MORTVVS EST.**

Quin adeò non potuit ferre  
 Christus, vt alienum sensum vera-  
 bis à se prolatis affingerent Disci-  
 puli, vt cum ex generali dicto  
 Magistri sui consternati fuissent,  
 mox illis blanda compellatione  
 sollicitudinem hanc eximeret, ge-  
 neraliter dictum ad speciem con-  
 trahens, Marci decimo, vbi cum  
 dixisset: Quàm difficulter οἱ τὰ  
 ῥήματα ἔχοντες, **HABENTES**  
 PE.

**P**ECUNIAS, in regnum  
 Dei introibunt. Discipuli autem  
 obstupescerent super his verbis,  
 quibus videbantur omnes paulò pe-  
 cuniosiores à Regno Dei excludi:  
 Interpretatur ipse Dominus suum  
 hoc durius dictum, inquires:

τέκνα, πῶς δύσκολόν ἔστι πρὸς πτωχότητα  
 εἰπὶ τοῖς πλούτοις εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ  
 Θεοῦ εἰσελθεῖν: Filioli, quàm diffi-

cile est, **C**ONFIDENTES  
**I**N **D**IVITIIS in regnum

Dei introire: Significans, non  
 possessionem neque legitimum va-  
 sum diuitiarum, sed **F**IDV-

**C**IAM earum, habentem eas  
 pro **S**VMMO **B**ONO, &

preferentem cœlestibus ac eter-  
 nis bonis, occludere Diuitibus rea-

gnum Cœlorum, sicut alibi dicit:  
 Tam non potestis Deo servire, &



**MAMMONÆ**, quàm nullus homo potest duobus dominis inter se aduersantibus pari promptitudine & fidelitate seruire, quin dum vnum diligit, alterum odio habeat, dum vni adhæret, contempnat alterum.

Cum igitur Christus prauum intellectum suorum verborum in alijs suis sermonibus, quibus tamen non articulum Fidei conde-  
re, aut Sacramentum sancire, sed communes commonefactiones proponere Apostolis voluit, non potuit dissimulare, aut silentio suo confirmare, quin errorem Discipulorum aliquando duriter taxaret, aliquando blandè argueret & indicaret, & semper tamen simul illustri declaratione verborum perperam acceptorum, eundem

dem errorem ex animis illorum  
tollere studeret:

Quomodo credibile est, eum in  
sanctione huius Sacratissimæ Cœ-  
næ, celebrandæ in omnibus pijs  
congressibus Credentium per vni-  
uersum orbem terrarum, vsque ad  
consummationem seculi, & vt  
Paulus loquitur, **DONEC**  
**VENIAT**, tam negligentem  
Doctorem, & adeò improuidum  
Curatorem suorum Discipulorum  
fuisse, ut permetteret eos inuolu-  
tos tanto errori, & deceptos prauo  
intellectu eorum verborum, qui-  
bus instituitur Sacratissimæ rei  
Mysterium, hunc ipsum errorem  
suum, sine emendatione, propaga-  
re & disseminare in omnes Eccle-  
sias, quæ per ipsos in toto terrarum  
orbe prædicatione Euangelij con-  
stituen-

stituentæ erant? Non eos admonisset erroris sui? Non obiurgasset? Non rectius informasset, vel tunc statim, vel post resurrectionem, à qua adhuc 40. totos dies cum ipsis visibili cohabitatione est conuersatus? si quidem voluisset illa sua verba, Cænam ordinantia, figuratè accipi, quæ constat ab Apostolis κατὰ τὸ ἑκτόν intellecta, & sic in Ecclesijs illorum voce constitutis explicata & declarata fuisse, quod ex Paulo, & ex Testimonijs primorum in Ecclesia Scriptorum, qui Apostolorum discipuli, vel discipulorum auditores fuerunt, manifestè ostendi potest.

## II. Responsio ad IMPOSSIBILITATEM.

ΕΥΘΥ

**Q**UOD autem hæc Regula  
 ideo hic allegatur, & cre-  
 ditur locum habere debere, quòd  
 verba propriè accepta, impossibi-  
 litatem quandam inferunt: ne qua-  
 quam mouere nos debet, vt pro-  
 pter hanc impossibilitatem, qualis  
 Rationi nostræ videtur, disceda-  
 mus à simplici intellectu verbo-  
 rum Christi, qualem diui Pauli  
 declaratio efficit, ad has incertas  
 & dissimiles Troporum interpre-  
 tatiunculas, haustas præcipuè ex  
 naturali Rationis luce, cum mul-  
 tas & eas grauissimas causas ha-  
 beamus, cur certa fide debeamus  
 assentiri omni verbo Dei, in eo  
 sensu, quo ipse illud accipi voluit,  
 quantumuis id, quod præcipitur,  
 aut promittitur, nostræ Rationi  
 impossibile & absurdum esse vi-  
 deatur.

deatur. Quare cum Ratio nostra  
 in rebus fidei scrupulose inquirere  
 & scrutari vult, quomodo hoc ve-  
 risimile esse aut fieri possit, com-  
 pescamus illam hoc Pauli præce-  
 pto: *1. Timo. 2.* Mulier in Ecclesia taceat.  
 Item: Docere autem mulieri  
 non permitto, & disputanti as-  
 cerrimè contra possibilitatem eius,  
 quod Deus promittit aut iubet fieri,  
 opponamus dictum Angeli,  
*Luce 1.* Non est impossibile  
 apud Deum omne Verbum.

Quod igitur ad hanc impossi-  
 bilitatem attinet, propter quam  
 existimatur Regula illa hic valere  
 & usurpari debere, referimus nos  
 ad id, quod initio huius scripti,  
 loco fundamenti adstruximus &  
 probauimus, de verbi Dei efficacia &

cia & certitudine, cuius ea debet  
 apud nos esse authoritas & digni-  
 tas, vt quandocunq; Deus no-  
 biscum loquitur, illud nobis per-  
 suadeamus firma fide, verum, cer-  
 tum, immotum & factu facilimum  
 Deo esse, quantumuis nostræ Ra-  
 tioni contrarium appareat, sicut  
 & Diuus Paulus hanc fidem, tri-  
 buentem Deo loquenti laudem ve-  
 ritatis, bonitatis & omnipoten-  
 tiæ, summopere prædicat in Pa-  
 triarcha Abraham, Rom. 4. quòd  
 crediderit Deo, qui vitæ restituit  
 mortuos, & vocat ea quæ non  
 sunt, vt sint, & quòd crediderit  
 præter spem in spe, & quòd in hac  
 tali fide sua non fuerit infirmatus,  
 consideratione Corporis sui iam  
 emortui, cum iam fermè centum  
 esset annorum, & cogitatione ste-  
 rilita-

rilitatis effœtæ Saræ vxoris, neque de promissione Dei hæsitauerit diffidentia, sed confortatus fuerit fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quòd quæcunq̃ue promisit Deus, potens sit & facere.

Causa  
possibilitatis.

I.

Sapientia  
dicentis.

Iam autem certum est, verba illa, quibus Sacratissima Cœna sancita est, non esse ab homine Sapiente & excellente prolata, sed à Filio Dei, qui cum sit æterni Patris coæternum verbum, Sapientia, & substantialis Imago, optimè nouit, quid & quomodo dicendum sit, & locutus est illa verba in illo postremo & mœsticia plenissimo tempore, in institutione tanti Mysterij & Sacramenti, quod voluit esse neruum publicæ consociationis membrorum

rum suorum in Ecclesia, & cum  
 debita reuerentia & obedientia  
 celebrari in omnibus publicis con-  
 gressibus vsque ad suum reditum,  
 vbi haud dubiè propriè & perspi-  
 cuè ad suos loqui voluit, & sicut  
 Apostoli illa verba κατὰ τὸ ἔντοπ  
 intellexerunt tunc, ita reliquit  
 eos in illo simplici intellectu ver-  
 borum suorum, credentes, se, dum  
 comedunt panem ab ipso post be-  
 nedictionem porrectum, comedere  
 hoc ipsum, quod dicit esse, videli-  
 cet, corpus ipsius, & bibentes ex  
 Calice, post gratiarum actionem  
 exhibito, se bibere sanguinem ipsi-  
 us, & sinit, imò iubet eos in hoc  
 intellectu & celebrare postea Cæ-  
 nam, & sic eam Ecclesys suis cele-  
 brandam tradere & commendare,  
 cum inquit: Hoc facite. Item,  
 Mattheæ



Matthæi ultimo: Docete eos  
seruare OMNIA QVÆ  
CVNQVE mandauit uos  
bis.

## II.

Potentia  
dicentis.

Neque verò hæc persona  
tantum dicere sapienter & cir-  
cumspectè potest, quæ vult & de-  
bet, & non potest eadem illa face-  
re & largiri, quæcunq̃ue & quom-  
modocunq̃ue promittit. Imò verò  
est infinitæ potentia, Dominus &  
Rector cæli & terræ, sicut ipse  
testatur eodem in loco Matthæi:  
Data est mihi omnis potestas  
in cælo & in terra. Item, Pater  
meus usq̃ue modò operatur, &  
ego operor. Quare dubium nul-  
lum nobis esse debet, quin quod di-  
cit & pollicetur, re ipsa præstare  
sua omnipotentia possit, id quod  
multis testimonijs comprobauit.

Tum

Iohann. 5.

Tum autem scimus hunc *Au-* III.  
 thorem Sacramenti non modò *Sa-* Veritas.

pientem & potentem Oratorem,  
 sed etiam veracem exhibitorem  
 esse rerum, quas se dare ostendit,  
 aut daturum promittit, cum ipse  
 de sese dicat: Ego sum uia,  
 VERITAS & uita. Item:  
 Cœlum & terra transibunt,  
 Verba autem mea non transi-  
 bunt. Et hunc ut Sapientem,  
 potentem, veracem & minimè fal-  
 lacem oratorem, seuerissimo man-  
 dato æterni Patris, de Cœlo so-  
 nantis, iussi sumus audire, vindi-  
 caturi grauissimis pœnis contem-  
 ptum huius sui vnici & dilectissi-  
 mi Filij.

Hanc igitur summam sapien-  
 tiam, potentiam, veritatem huius  
 Domini, dicentis in illa vltima  
 sua

*sua & prima noui Testamenti Cœna de Pane fracto, & distributo discipulis: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur, opponimus omnibus argumentis de impossibilitate, quibus aliqui nituntur, nos depulsos à simplici & proprio intellectu uerborum Christi, traducere ad incertas & ex cœcutiente Ratione sumptas interpretationes, etiamsi omnes illas speciosas obiectiones & argutias non ita euidenter soluere possumus, ut Ratio humana acquiescat.*

### III. Responsio ad ABSURDORVM obiectionem.

*Eodem*

EODEM modo respondeo ad  
 obiectiōnem de Absurdis, quæ  
 ab hominibus ingeniosis, & Ra-  
 tionem ducem sequentibus, magno  
 studio conquiruntur & exagger-  
 rantur, ad quorum omnium evita-  
 tionem, censent Regulam supra  
 positam adhibendam esse eatenus,  
 vt confugiamus ad Troporum au-  
 xilium, quorum Troporum quilibet  
 fermè non minus, quàm Ma-  
 chæra Alexandri Magni nodum  
 Gordium insolubilem vno ictu  
 dissecut, vniuersum cumulum  
 absurdorum disicere possit, quæ  
 alioqui magno concursu sese offe-  
 runt, quandocunq̃ vera Corporis  
 Christi præsentia in Cœna assue-  
 ratur.

Sed rursus Lectori in memo-  
 riam renoco illa, quæ in exordio

pro-

prolixè commemorata sunt, Deum, qui est infinitæ sapientiæ & potentie Essentia, se suis dictis & factis non ita alligare & includere voluisse nostræ arctæ & imbecilli & caliganti Rationi, ut nihil loqueretur aut operaretur, nisi quod nostræ Rationis lucis κατὰ δύναμιν esset, & posse fieri prætaretur. Sed pro immensitate suæ Sapientiæ, bonitatis & potentie, multa fecisse & facere & dicere, quorum possibilitatem, causas, modum effectiōnis, nostræ mentis angustia capere non possit, & scrutari minimè debeat, sed ad hoc obligata sit, ut suo infinito Conditori in omnibus, quæ dicendo præcipit & promittit, submissa cum reuerentia obediat & credat.

Et quia

Et quia igitur Dominus nos-  
 ter. Iesus Christus de pane, quem  
 sua benedictione sanctificauit, di-  
 cit: **HOC EST CORPVS**  
**MEVM**, quod pro vobis datur,  
 etiamsi sensus exteriores nihil nisi  
 panem vident, palpant & gu-  
 stant, & ex verbis Pauli planissi-  
 mum est, nullam fieri Substantie  
 panis abolitionem siue annihilatio-  
 nem vel permutationem, tamen  
 æquum est, nos hunc honorem tri-  
 buere Saluatori nostro, vt firmi-  
 ter credamus, nos sumpto Pane &  
 hausto Vino, quod ipsius verbo ad  
 communicationem corporis et san-  
 guinis sui sanctificatum, nobis  
 edendum & bibendum per mini-  
 stri manus porrigit, simul verum  
 ipsius Corpus pro nobis traditum,  
 præsens exhibitum, accipere &  
 M man-

manducare, & sanguinem ipsius  
 pro nobis effusum ad remissionem  
 peccatorum nostrorum, presens  
 tem bibere, & hanc fidem nos-  
 tram, nitentem proprijs & pers-  
 picuis & indubitatis verbis ve-  
 racis & omnipotentis Christi,  
 non sinamus languescere aut enera-  
 ti, cogitatione vel obiectione Ab-  
 surdorum, quæ Rationi nostræ  
 subeunt, & imitemur in hoc il-  
 lam toties laudatam, neque tamen  
 unquam satis celebrandam fidem,  
 cum aliorum Patriarcharum, qui  
 Deo iubenti & promittenti sæpe  
 contra omnem Rationis humana  
 captum & approbationem, & ve-  
 re præter spem in spem credide-  
 runt: tum imprimis excellentissi-  
 mi hac virtute Herois ABRAMÆ  
 HÆ, qui promissum filium in  
 etate

etate sua decrepita, & Saræ sterilitate, firma fide & spe expectavit, fortiter luctans cum cogitatione impossibilitatis, quam illi Ratio per ostensionem communis ordinis in natura, & impedimentorum naturalium, ut Paulus testatur, magnificè amplificavit.

Idem non passus est in re possibili, quam iussus erat facere, absurditate multiplici sese moveri, quo minus Deo suo crederet & obediret, cum inberetur, in signum perpetui fœderis cum Deo, obligante se ipsi & semini circūciso ad præstationē omnium bonorum per Semen mulieris impetrandorum et largiendorum, circumcidere eam corporis partem, quam nemo verecundus nominare, vel etiam per



verborū ambages designare facile  
 audet, & natura ipsa tectā esse vo-  
 luit, vbi haud dubiè ratio ipsi sua,  
 vel ex domesticis aliquis, magnum  
 aceruum absurdorum subiecit,  
 quàm deforme hoc sit, quàm pro-  
 brosum et ignominiosum futurum,  
 apud omnes vicinos & exteros po-  
 pulos, & homines intelligentes,  
 quantopere offensurus sit suos do-  
 mesticos, & omnem existimatio-  
 nem virtutis amissurus, si in hac  
 tanta ætate, nonagenarius vide-  
 licet senex, vir tantus, ob sancti-  
 tatem vitæ, eruditionem, sapien-  
 tiam, fortitudinem bellicam, &  
 multarum aliarum virtutum præ-  
 stantiam dilectus & honoratus à  
 magnis Principibus vicinorum  
 populorum, qui suis domesticis as-  
 siduus Doctor & monitor vere-  
 cundie

cundiae & disciplinae seruandae fuerit, in hac foeda corporis parte se & suos omnes contrectari & sauciari permetteret, & hanc tam deformem notam totius mascululae posteritatis corporibus, ceu ob infamiam aut maleficcium stigmatate aliquo inusto deformati apponi mandaret, atque ita uniuersam stirpem suam impijs Ethnicis deridendam & dieteriorum acerbitate in perpetuum exagitantem exponeret.

Fieri etiam potuit, ut ex sapientioribus ministris Abrahae aliquis, conatus sit dissuadere Hero hanc, ut videbatur, abominandam deformationem sanctissimae familiae, commoda interpretatione uerborum Dei, de allegorica seu Mystica circumcisione cordis,

& mortificatione viciosarum flammarum, quæ figurata locutio creberrima est in Mose, Prophetis, & Apostolis. Nam Deuteronomio. dicitur de hac spirituali & mystica Circumcisione: Circumcidite igitur præputium cordis uestri, & ceruicem uestram, ne induretis amplius, & 30. cap.

Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum & cor Seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,

*Ieremie 4.* Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium uestrorum uiri Iuda.

De hac figurata Circumcisione loquitur & Paulus Rom. 2. Coloss. 2. Philip. 3.

Et

Et Christus ipse usus est simili figura de ijs, qui se propter regnum cælorum Eunuchos fecerunt, ut supra ostensum est.

Valde igitur speciosa hæc interpretatio videri potuit, quam si sequi voluisset Abraham, tantam absurditatem segetem semel excindere potuisset.

Sed quia sanctus Vir verbum & mandatum Dei sui, maxime facit, & nihil motus illis obiectionibus fœditatis, & aliorum absurdorum, obstructis quasi auribus & obuolutis oculis Rationis suæ, respicit simpliciter ad vocem Dei, & eam solam audit & accipit, ut verba sonant (quia intelligit expatetatione Dei, hoc opus ideo præcipi, ut sit perpetuum Sigillum

promissæ gratiæ, & iusticiæ donatæ gratis propter promissum Mediatorem, & obsignatio Fœderis, quod Deus cum ipso & semine eius in perpetuum pepigerat:.) Ideo quantumvis reclamante Ratione sua, & alijs sapientibus domesticis, & vicinis, hoc opus propter absurditatem improbantibus, & acerbis sannis & scommatis exagitantibus, ipse in simplicitate Fidei, Dei sui planum & perspicuum mandatum iuxta literam exequitur.

Eiusdem Abrahæ Fides, hætenus oppugnata primum cogitatione IMPOSSIBILITATIS, Deinde obiectione ABSURDITATIS, Tertio etiam ariete violentissimo concutitur, videlicet specie manifestæ & in lege

in lege Dei expressissimè prohibe  
 bita **IMPIETATIS**, & ab  
 Ethnicis etiam damnatæ Imma-  
 nitatis, cum accipit tristissimum  
 mandatum, quo iubetur unigeni-  
 tum filium Isaac, ab ipso Deo pro-  
 missum singulari prædictione, &  
 natum in senectâ evidentissimis  
 argumentis præsentia Dei, fœ-  
 cundantis Anum sterilem & no-  
 nagenariam, de quo hanc lætam  
 promissionem acceperat, quòd ex  
 illo amplissimi populi & Reges  
 quoque orituri essent, Ex quo iam  
 adolescente insignia virtutum &  
 pietatis semina elucebant: Hunc  
 inquam unicum Filium iubetur  
 quasi ex sinu & complexu carissi-  
 mæ matris, sanctæ & dilectæ con-  
 iugis suæ, abreptum, & procul  
 abductum in montem Moria, ma-  
 M 5 etare,

Etare, & loco pecudis combure  
re.

Hic potuisset Abraham Ra  
tionem suam sequens, & paterna  
sogri indulgens, multa secum di  
sputare & quærere, esset ne ea di  
uina patefactio & mandatum, an  
vero demonis alicuius, letantis  
immanibus facinoribus & parri  
cidijs, illusio & deceptio:

Et, si constituisset secum, eam  
reuelationem diuinam esse, Potuit  
ulterius quærere, vtrum ea verba  
mandati κατὰ τὸ ἕκαστον intelligi de  
berent, an vero figuratè accipi, &  
molli aliqua interpretatione miti  
gari, cum præciperent tale quid  
dam, quod non solum naturæ ho  
minis & diuinitus insitæ sogri pa  
terna abominabile & quodammo  
do im

do impossibile est, verum etiam naturali luci & radio sapientiæ diuine in Creatione inditæ hominibus, prorsus contrarium, seridè præcipienti: Neminem occiditò innocentem, Contrarium item illi seuerissimæ comminationi diuine per Noam editæ, Gen: 8. Quicumque effuderit sanguinem humanum, per hominem & illius sanguis fundetur: Ad imaginem quippe Dei factus est homo.

Potuit igitur ratiocinari Abraham: Si impium & capitale est, quemuis hominem occidere, multò erit atrocius, Filium: multò atrocius talem Filium, diuinitus promissum, miraculosè conceptum, ex talibus prognatum, ita piè educatum, & institutum ad spem &

pro



procreationem non modò innumera-  
 rabilis posteritatis, verum etiam  
 eius Germinis, quod promissum  
 primis Parentibus in Paradiso,  
 abolito peccato, victa morte aeter-  
 na, & fracta potentia diaboli, re-  
 laturum sit Benedictionem aeter-  
 nam, hoc est, reconciliationem cum  
 Deo, iusticiam & vitam aeter-  
 nam, sicut Abrahæ ex hoc Isaac  
 venturus liberator generis huma-  
 ni aliquoties promissus fuerat, qua  
 promissione ipse sese in summis con-  
 sternationibus erexerat, & læta-  
 tus fuerat, Sicut testatur Chri-  
 stus: Abraham pater uester  
 exultavit, ut uideret diem me-  
 um, & uidit eum, & lætatus est.  
 Et illa læticia ei quotidie renoua-  
 ta est conspectu huius filij Isaac,  
 quæ vniuersa videtur concidisse  
 hoc

Iohan. 8.

hoc improviso & terribili manda-  
 to, quo miserrimus Patriarcha,  
 qui iam dudum primum filium,  
 haud dubiè ob indolem dilectum,  
 Ismaelem, instigatione coniugis  
 Saræ, & mandato Dei urgente,  
 unâ cum matre Agar, ingenio-  
 sa & benè instituta fœmina, in  
 perpetuum exilium à se dimiserat,  
 iussus etiam alterum filium sua  
 manu mactare, prorsus orbatus,  
 omnem consolationem, spem, vi-  
 tam adeo ipsam amissurus videba-  
 tur.

Hic potuit Abrahæ venire in  
 mentem illius Regulae, quæ iubet  
 confugere ad Tropos & mitiores  
 interpretationes, quando verbum  
 Dei aliquid planè absurdum &  
 impium præcipere videtur, si au-  
 thoritas Verbi diuini apud ipsum  
 exigua

exigua, aut fides languida fuisset,  
 aut si passus fuisset se Rationis suae  
 luce, & naturali σοφίᾳ regi & impelli.

Cogitare enim potuit: Hoc  
 nouum mandatum exigit à me  
 quiddam manifestè impium, quod  
 si committam, sine vlla dubitatione  
 immotam LEGEM Dei violabo,  
 & me polluam sanguine generosi  
 filij, & ira grauiſſima & iustiſſima  
 Dei me onerabo: Euerſam etiam  
 & irritam faciam hanc  
 caede non mihi tantum & posteris  
 meis, Verum etiam omnibus gentibus,  
 Promiſſionem de venturo  
 Semine, allaturo Benedictionem  
 æternam, omnibus, qui eam fide  
 amplectuntur: Fugiar meritò ab  
 omnibus *κευ ἀλάσως* & *κἀδάσμα*, &  
 omni execratione & atrocissiſſimis  
 suppli

supplicij dignus parricida, quia  
 ab ignavis mandati diuini, puta-  
 bor in mea viscera vel stulta ira,  
 vel ambitione, vel innata crude-  
 litate immaniter scēiisse: Inu-  
 ram etiam sempiternam notam,  
 meis maioribus, qui gloriati sunt,  
 & testimonia diuina habuerunt,  
 quòd sint Ecclesia, & Deo placen-  
 tes & sancti viri: Inuisam red-  
 dam & detestandam omnibus,  
 doctrinam de vero Deo, quam  
 circumferens hactenus communi-  
 caui cum vicinis populis, siquidem  
 tales fructus illius in me Doctore  
 precipuo cernent: Nocebo mul-  
 tis meo exemplo, qui ex supersti-  
 tione pro singulari cultu Dei, hoc  
 meum factum imitabuntur, scēi-  
 entes in suos liberos sine peculiari  
 & expresso verbo Dei.

*Hæ cogitationes fidem & studium obedientiæ in eo extinguere, aut animum paternum impellere potuerant, ut vel à proprietate verborum ad quærendam aliam sententiam tutiorem recederet, vel prorsus executionem huius crudelis mandati negligeret.*

*Sed adspiciamus obsecro & admiremur constantiam & ardorem fidei singularis in hoc sancto viro, qui & lucem Rationis suæ quasi captiuans & seponens, & magna vi et lucta paternam <sup>seruati</sup> vincens, qua complectebatur hunc diuinitus donatum, ornatum, & Honoratum amplissimis promissionibus Filium, & obliuiscens quoque omnium illorum, quæ prius non promissa modò sibi à Deo erant,*  
*sed*

sed etiam iuramento confirmata  
 & miraculorum testimonijs & Cir-  
 cumcisionis Sacramento roborata  
 & munita, tantum respicit ad hoc  
 nouum Mandatum, quamuis id &  
 cum lege Dei, & cum omnibus cer-  
 to confirmatis pactiōibus pugna-  
 ret, eius mandati verba sine pere-  
 grina interpretatione accipit &  
 intelligit, vt sonant, & eorum sen-  
 tentiam exequi factō ipso & debi-  
 ta reuerentia parat, ita cogitans:  
 Is qui à me hoc postulat, Deus &  
 Creator meus est, infinitæ Sapien-  
 tiæ, bonitatis, iusticiæ, veritatis  
 & potentie, cui ego meam vitam  
 & omnia mea debeo, qui ceu miser-  
 rimus vermiculus, imbecillis, fra-  
 gilis, iniustus & totus repletus  
 sordibus peccati, immensitatem  
 Sapientiæ Dei non percipiens, nec  
 causas

causas consiliorum, dictorum & operationum ipsius perspicuus, obligor, ut ipsius verbo, simplici fide, assentiar & credam, ipsiusque mandato qualicumque, sine hæsitatione obtemperem, nihil inquirens, Quare hoc & illud in hunc aut alium modum, & non aliter, præcipiat aut sanciat? cum profunditas diuitiarum Sapientiae & scientiae Dei inexhausta sit, & incomprehensibilia sint iudicia eius, & impæuestigabiles viæ eius.

Rom. II.

Hæc fides Abrahæ, omnia sua, nudo & soli verbo Dei subijcientis, & illi constanter, atq; adeo etiam pertinaciter innitentis, & sese sustentantis extra et supra Rationem, imò contra alias Dei præfationes, cum quibus hoc nouum manda-

mandatum ex diametro quasi pu-  
gnare videbatur, summopere præ-  
dicatur à Deo ipso, & amplissi-  
morum præmiorum promissionem  
accipit, Gene. 22. Vbi sic exclamat  
Angelus Dei de cælo, hoc est, Ipse  
Filius æterni Patris: Per me-  
metipsum iuravi, dicit Domi-  
nus, quia fecisti hanc rem, &  
non pepercisti filio tuo unigeni-  
tito, benedicam tibi, & multi-  
plicabo semen tuum sicut stel-  
las cœli, & uelut arenam, quæ  
est in littore maris. Possidebit  
semen tuum portas inimico-  
rum suorum, & benedicentur  
in semine tuo omnes gentes  
terræ, quia obedisti uoci meæ.

*Eandem fidem Abrahæ ten-  
tatam primum ratione Impossibili-  
tata*



litatis, cum esset seni ex coniuge  
 sterili & anu promissa soboles:  
 Deinde oppugnatam ratione Absur-  
 ditatis per mandatum de Cir-  
 cumcisione: Postremò concussam,  
 ceu violentissimo turbine, hoc  
 mandato, exigente manifestam  
 Impietatem, & pugnante cum  
 tam illustri & tot modis roborata  
 promissione diuina, insigniter eti-  
 am prædicat Epistola ad Ebræos  
 cap. II. inquit: Fide obtulit  
 Abraham Isaac, cum tentaretur,  
 & unigenitum offerebat,  
 in quo susceperat repromissio-  
 nes, ad quem dictum erat: In  
 Isaac uocabitur tibi semen, stas-  
 tuens secum, quod & à mor-  
 tuis suscitare potens est Deus,  
 unde eum & in parabolam ac-  
 cepit.

Hæc

Hæc exempla excellentis fidei, innitentis verbo nudo, sicut sonat in sanctionibus Sacramentorum, & præceptionibus singularium operum, non frustra tam diligenter descripta, & tam honorificis encomiis Dei & Sanctorum Apostolorum celebrata sunt, sed eo fine, ut illa nobis imitanda proponeremus.

Et profectò qui suam Rationem, & quæ frustra sic vocatur, Sapientiam suam, quæ reuera nulla est in rebus diuinis indagandis, verbo Dei penitus subycere posset, & sese adsuefacere, ut diuinas voces pluris faceret, & certiores ac firmiores duceret ipso Cælo & Terra, sicut sanctos Patriarchas fecisse ex hisce & alijs exemplis ipsorum discimus, & firmiter

crederet, Authorem huius Sac-  
 ratissimæ Cœnæ Coeternum Dei  
 Filium, infinitæ Sapientiæ, &  
 Potentiæ, & Veracissimum esse,  
 nequaquam pateretur his obie-  
 ctionibus Rationis de Impossibi-  
 litate & concurrentibus Absur-  
 dis, suam fidem languescere &  
 turbari, aut sese moueri, ut  
 propter illa, quæ Rationi videntur  
 Absurda, huius tanti & tam  
 Potentis Oratoris dicta audeat suo  
 iudicio interpretari, torquere &  
 sculperè tam diu, donec sententiam  
 efficiant, quæ Rationi videatur  
 concinna & consentanea.

**III. Responsio ad**  
**OBIECTIONEM DE**  
*Ascensione Christi ad*  
*cælos &c.*

Quod

**Q**UOD autem præcipuè Pa-  
 trocinium & defensio nouo  
 dogmati neganti veram præsentia-  
 am Corporis Christi in Cæna, quæ-  
 ritur ab articulo Fidei nostræ ir-  
 refragabili, de Ascensione Domi-  
 ni nostri Iesu Christi in cælos, &  
 sessione ad dextram æterni Pa-  
 tris, & sic colligitur:

Christus ascendit in altum, &  
 corpus quod à nostra carne assum-  
 psit, secum subuexit supra omnes  
 cælos, & collocavit ad dextram  
 æterni Patris:

Ergo non potest idem Corpus  
 nobiscum in terra esse, in celebra-  
 tione Sacrosanctæ Cæna:

Speciosum esse videtur argu-  
 mentum, sed reuera tamen nostræ  
 sententiæ nihil derogat. Neque  
 enim valet Consequentia ab eo,

quod naturæ creatæ, & seorsum  
 consideratæ, proprium aut impos-  
 sibile est, ad id, quod etsi ipsum  
 quoque creatum est, tamen tali na-  
 turæ alteri, copulatione insepara-  
 bili, unitum est, quæ prorsus alias  
 proprietates habet, quæque omni-  
 potens, omnem impossibilitatis  
 vim exuperat, sicut supra ex dicto  
 Angeli ad Mariam virginem au-  
 diuimus: Non est impossibile  
 apud Deum omne Verbum.

De hominibus rectè dicitur:  
 Rex Philippus hoc tempore est in  
 Hispania, Ergo non potest eodem  
 tempore esse Pragæ apud Impera-  
 torem Ferdinandum patrum su-  
 um, & coràm illi dextram porri-  
 gere.

Sed hic est longè excellentior  
 persona,

persona, quæ prorsus alias habet  
 proprietates & vires, quàm ho-  
 mines, & verè hoc dicere & re  
 præstare potest, quod promittit,  
 Matth. 18. **VBICVNQVE**  
 sunt duo uel tres congregati in  
 nomine meo, ibi sum in medio  
 eorum. Item, Ecce ego uos-  
 biscum sum omnibus diebus  
 usque ad consummationem se-  
 culi.

*Vt autem hic etiam edam me-  
 am Confessionem de hoc articulo  
 Fidei, & deinde planius possim  
 ostendere, quòd hic Articulus præ-  
 sentiam Corporis Christi in Cœna  
 non euertat: breuiter quomodo  
 nos illam sessionem Christi ad  
 dexteram Dei intelligamus, ex-  
 ponam.*

*Primum credimus & confitea-*

**N 5** mur

mur cum vniuersa Ecclesia Apōs-  
 tolica, quòd in vnica persona Do-  
 mini nostri IESV CHRISTI  
 inseparabiliter vnitæ sint due na-  
 turæ, diuina Filij, quæ ab æterno  
 genita à Patre, secunda est per-  
 sona diuinitatis, per quam Cælum  
 & Terra & omnes creaturæ aliæ  
 conditæ sunt & conseruantur, per  
 quam & patefacta est Essentia &  
 Voluntas Dei hominibus: & alte-  
 ra humana natura, certo tempore  
 assumpta de semine Abrahe &  
 Dauidis & posterorum in vtero  
 inuiolatæ Virginis Mariæ, de do-  
 mo & familia Dauidis, quæ as-  
 sumptio ita facta est, ut neque na-  
 turarum fieret permixtio aut con-  
 fusio, aut vnius in alteram trans-  
 mutatio, cum abolitione proprie-  
 tatum naturæ transeuntis in alte-  
 ram

ram vel absorptæ ab altera: sed si-  
 cut naturæ ambæ manent, ita ut  
 traque proprietates suas essentialia-  
 les sine confusione earum cum alte-  
 ris retinet, ita tamen, ut illæ utri-  
 usque naturæ proprietates toti  
 personæ communes sint, & de ea  
 rectè & verè dici possint. Imò eti-  
 am quando vocabulo alterius na-  
 turæ in concreto (ut loquimur in  
 Dialectica) persona indicatur &  
 intelligitur, rectè proprietates al-  
 terius naturæ tribuuntur Personæ,  
 ut cum naturæ diuinæ hæc pro-  
 pria sint: esse infinitum essentialia,  
 ubique esse, omnia implere, esse ab  
 æterno, esse infinitæ Sapientiæ, &  
 Potentiæ, creare, dare vitam, lu-  
 cem, iusticiam æternam, &c.  
 Humanæ verò propria sint: esse  
 finitam essentialia, circumscribi, cer-  
 to loco



to loco contineri, conditam esse vel  
 ortum suum certo tempore per ge-  
 nerationem habere, indigere cibo,  
 potu, somno, passibilem, mortua-  
 lem esse, &c. Vtriusque naturae  
 propria rectè & verè dicuntur de  
 Domino nostro IESU CHRIS-  
 TO, hoc est, de Persona. Rectè  
 etiam naturæ diuinæ vocabulo  
 concreto, significante Personam  
 Christi dicitur: Deus est passus,  
 Deus est crucifixus, Deus sangui-  
 ne suo Ecclesiam redemit, sicut  
 Paulus loquitur. Acto. 20. Iudei  
 Deum crucifixerunt, Maria De-  
 um peperit. In quibus locutionibus  
 intelligitur Persona, in qua cum  
 diuina vnita est humana natura,  
 quæ fuit Passibilis, cruci est affi-  
 xa, sanguinem suum profudit, in  
 utero Mariæ matris gestata fuit,  
 &c. Rursus

Rursus rectè dicitur: *Filius* hominis descendit de cælo, est in cælo, omnia implet, est ubique, est Creator, &c. quia hæc persona non tantum homo & Mariæ Filius est, Sed etiam Dei coæternus Filius, cui ista propria conueniunt.

Sed non permittitur in Ecclesia, ut proprietates alternatim de aliena natura in Abstracto dicantur, atque ita confundantur. Ideo non rectè dicitur: *Diuinitas Christi* est *passa*, *cruci affixa*, *mortua*, &c. quia hæc propositiones non loquuntur de persona, sed de vna natura secundum se considerata, quæ cum habeat suas proprietates essentialis & perpetuas, non recipit alienas, ne intelligatur, post assumptionem

ptionem humanæ naturæ in Christo, factam esse naturarum, atque ita etiam proprietatum confusionem, contra quam  $\sigma\upsilon\gamma\chi\upsilon\sigma\alpha\pi$  Ecclesiastici scriptores acerrimè cum Hæreticis dimicarunt.

Sic non rectè dicitur: Humanitas vel humana natura Christi est æterna, est infinita essentia, descendit de cælo, est ubiq; omnia implet. Nam neque hæ propositiones loquuntur de persona, sed de altera tantum natura humana, secundum se considerata, que etiamsi post glorificationem excellentia ornamenta accepit, tamen neque omnes suas essentielles proprietates exuit, neq; omnes divinæ naturæ proprietates accepit, alioqui enim & ipsa permutata esset

esset in naturam diuinam. Vbi enim nulla est proprietatum dissimilitudo, sed exactissima conuenientia & exaequatio, ibi necesse est esse naturae & essentiae identitatem.

Itaque haec propositiones in Abstracto non admittuntur in Ecclesia, cum rectè dicatur in concreto, Vbi Persona intelligitur, Filius hominis est aeternus, Filius hominis est creator, Filius hominis descendit de caelo, Filius hominis est ubique. Sic enim Christus homo de se loquitur: Pater glorifica me ea gloria, quam habui apud te ante conditum mundum. Ioan. 17. Pater meus usque modo operatur & ego operor. Ioan. 5. Item. Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo,

caelo, Filius hominis, qui est in  
 caelo. Iohan. 3. Item, Ecce Ego  
 uobiscum sum omnibus diebus  
 &c. Item. Antequam Abra-  
 ham nasceretur, Ego sum.

Tales propositiones, in quibus  
 proprietas vni naturae conueniens,  
 personae tribuitur, etiam cum illa  
 enunciatur appellatione naturae al-  
 terius in concreto, dicuntur verae  
 esse per Communicationem Idio-  
 matum, cuius immotae Veritatis  
 & aeternae certitudinis fons est &  
 origo, illa admirabilissima & in-  
 effabilis duarum diuersissimarum  
 naturarum indissolubilis & in nul-  
 la aeternitate separabilis cōfœderat-  
 io seu vniō, quam ὁμοουσιότης  
 graeci vocarunt, post quam semel  
 mirando consilio Dei factam na-  
 turam

turarum vnionem, Filius Dei æternus λόγος æterni Patris, iam non est amplius persona seiuncta aut in æternitate seiungenda à nostra carne, quam assumpsit, sed quamdiu est & erit Filius Dei (erit autem sine vlllo fine in æternitate) tamdiu erit illi vnita massa de carne nostra assumpta, in vna indiuisa persona, ita vt cogitare de Filio Dei λόγος non possis, quin simul & massam carnis nostræ cogitatione coplectaris, quam secum vnitam habet, gestat, fouet & sustentat in tota æternitate, nec vnquam à se deponit aut deponet.

Sic & massa humanæ nature assumpta à λόγος, constans Anima rationali & corpore, non est peculiaris persona, separata aut vn-

O      quam

quam in eternitate separanda à  
 Filio Dei, Sed vbiunq̄ue est illa  
 humana natura, vnitam secum ha-  
 bet diuinam Filij naturam, à qua  
 gestatur, fouetur, conseruatur,  
 glorificatur ita, vt Dei Filius de  
 essentia Patris ante omnia secula  
 genitus, & Mariæ Filius in secu-  
 lo natus, sit vna persona, non duæ,  
 vnus Christus, non duo Christi,  
 vnus filius, non duo filij.

Quare Filius Dei, idem iam  
 est Filius hominis, & filius homi-  
 nis seu Mariæ filius, seu semen mu-  
 lieris, idem est iam Filius Dei,  
 & Maria virgo concepit & pepe-  
 rit Filium Altissimi, Filius Dei  
 iacuit in gremio, pependit ad v-  
 bera Virginis Mariæ matris, que  
 omnia verè dicuntur, quia post  
 semel

semel factam duarum naturarum  
 arctissimam illam unionem, nulla  
 fit aut fiet earundem naturarum in  
 aeternitatem diuulsio, seiunctio,  
 separatio, sicut earundem natu-  
 rarum, ut dictum est, nulla facta  
 est aut fiet vnquam permixtio,  
 nulla confusio, neutrius in alte-  
 ram transitio vel permutatio, nec  
 rursus vnius naturæ ab altera  
 consumptio & absorptio, sed v-  
 traque natura incolumi & salua ma-  
 nente, in illa indissolubili vnione,  
 manet etiam & manebit in æterni-  
 tatem proprietatum vtriusque natu-  
 ræ inconfusa dissimilitudo & di-  
 stinctio, quæ tamē proprietates di-  
 uersissimæ, ipsi personæ sunt comu-  
 nes, & de persona ipsa, sempiterna  
 & immota veritate dicuntur com-  
 muniter, propter illam *inconfusibilem*  
*unionem.*



*Hic Dominus Iesus Christus  
 verus Deus & homo, cum à na-  
 tiuitate sua ex Maria virgine vlti-  
 tra 33. annos super terram visibili  
 conuersatione sese conspicuum ex-  
 hibuisset, docuisset, sanasset, come-  
 disse, ambulasset, quieuisset, passus  
 & mortuus resurrexisset, ha-  
 bitu, hoc est, omnibus gestibus in-  
 uentus vt homo, Philip. 2. Et tenu-  
 tatus per omnia iuxta similitudi-  
 nem, absque peccato. Ebrae. 5.  
 assumpta in Resurrectione in-  
 mortalitate, glorificatum Corpus  
 suum, quod à nostra Carne acce-  
 perat, ex oculis nostris abducens,  
 ascendit in caelos, vbi sedet ad dex-  
 tram Dei, regnans cum Deo Pa-  
 tre & Spiritu sancto, equali infi-  
 nitate Essentiae, Sapientiae & Po-  
 tentiae, omnia implens, omnia gu-  
 bernans,*

bernans, ubique præsens, ubique  
 efficax ad salutare actiones &  
 opera, sicut ipse iam conscensurus  
 Cælum testatur inquit: Data  
 est mihi omnis potestas in cœ-  
 lo & in terra.

Postquam verò Filius Dei  
 ad firmissimam & indubitam te-  
 stificationem & argumentum sui  
 immensi amoris erga miserum &  
 perditum genus humanum, semel  
 sibi illud ita copulavit & consocia-  
 vit, ut naturam humanam inte-  
 gram, rationalem animam & cor-  
 pus (absque peccato) verè & in-  
 separabiliter sibi uniret, etsi eam  
 massam carnis nostræ assumptam  
 ineffabili gloria decoravit & ex-  
 ornauit, tamen ut inuiolatum ma-  
 neret in omnem æternitatem hoc  
 certissimum pignus arctissimæ

confæderationis suæ nobiscum, cuius  
 intuitu possemus hanc immen-  
 sam bonitatem Creatoris, in semp-  
 iterna leticia, admiratione, &  
 gratitudine prædicare et celebrare:  
 eandem naturã à nobis assumptam  
 non prorsus permutavit, & suæ di-  
 vine nature exæquavit, abolitis  
 omnibus humane nature essentia-  
 libus proprietatibus, & in locum  
 earum substitutis divine nature  
 proprietatibus, quales sunt, infini-  
 tas essentie, & ὁμοιότητα esse, om-  
 nia implere, ubique infinita pos-  
 tentia agere ad rerum creatarum  
 sustentationem & conservatio-  
 nem, & similes. Nam hæc ex-  
 actissima exæquatio nature hu-  
 mane cum divina secundum omnes  
 proprietates divine nature, sub-  
 latura esset omne discrimen natu-  
 rarum,

rarum, ex quo hoc sequi necesse  
 esset, post Ascensionem Christi in  
 cælum, unicam tantum iam esse  
 naturam in Christo, diuinam vi-  
 delicet, siquidem humana natura  
 exuta omnibus suis proprietatibus  
 assumpsisset omnia naturæ diuinæ  
 propria, atque ita esset ipsa quoque  
 facta diuina. Vbi enim nullum est  
 discrimen essentialium proprieta-  
 tum, ibi necesse est unicam tantum  
 esse naturam, vt supra quoque di-  
 ctum est.

Sed tota catholica Ecclesia  
 confitetur maximo cum consensu,  
 Christum assumptum in Cælum,  
 & sedentem ad dextram Dei Pa-  
 tris, esse Filium Dei & Verum ho-  
 minem, qui sic ad iudicandum vi-  
 uos & mortuos rediturus sit, qua-  
 lem viderunt Apostoli eum eun-  
 tem

*tem in cœlum, Act: 1.* Quando  
 etiam hoc nostrum humile &  
 uile corpus μεταχηματίσα, trans-  
 formabit, ut fiat σύμμορφον cor-  
 pori glorioso suo. *Philip. 3.* Si-  
 cut dulcissimè dicit *Tertullianus*  
*de Christo:* Hic Sequester Dei  
 & hominum appellatus, ex us-  
 triusque partis deposito com-  
 misso sibi, Carnis quoque des-  
 positum seruat in semetipso,  
 Arrabonem summæ totius.  
 Quemadmodum enim nobis  
 Arrabonem Spiritus reliquit,  
 ita & à nobis Arrabonem car-  
 nis accepit, & uexit in cœlum,  
 Pignus totius summæ, illuc  
 quandoq; redigendæ. Securæ  
 estote caro & sanguis, usur-  
 pastis & Cœlum & regnum  
 Dei in Christo, Aut si negent  
 uos

uos in Christo, negent & in  
 caelo Christum, qui uobis cœ-  
 lum negauerunt. *Hactenus Ter-*  
*tullianus:*

*Hinc etiam est, quod Christus*  
*Apostolos suos, ac nos omnes, soli-*  
*da consolatione erecturus, etiam*  
*post Resurrectionem, glorificata*  
*iam carne sua, & ornata immor-*  
*talitate & alijs donis, nos suos*  
*Fratres appellat, cum inquit ad*  
*Mariam Magdalenam, Iohan. 20.*  
 Vade ad **FRATRES** meos  
 & dic eis: Ascendo ad Patrem  
 meum & Patrem Vestrum,  
 Deum meum, & Deum Ve-  
 strum. *Quo dicto iubet, ut etiam*  
*post glorificationem adsumptæ à*  
*nobis carnis, & ascensionem suam,*  
*& sessionem ad dextram in gloria*  
*Patris, se pro Fratrem nostro agnos-*  
 0 5 *camus,*

scamus, colamus, diligamus, eorū  
 letemur, gloriemur & triumphemus  
 vnice, & nos in omnibus eorū  
 ruminis & miserijs huius calamito-  
 se vite erigamus & consolemur,  
 quòd certo scimus & credimus,  
 nostram carnem & sanguinem,  
 hoc est, Dominum nostrum  
**IESVM CHRISTVM**  
 Filium Dei & Mariæ virginis  
 gestantem & conseruantem integram  
 naturam nostram, esse, viuere  
 & regnare in cælis, sedentem  
 ad dextram Maiestatis diuinæ, &  
 post gloriosum Triumphum &  
 occupationem Throni infinitæ  
 Maiestatis ad dextram æterni  
 Patris, non desysse esse fratrem  
 nostrum, abiectiōe assumptæ à  
 nobis massæ, aut permutatione il-  
 lius in alteram suam naturam factæ,  
 Et,

Et, sed eam ingenti & inestimabili gloria ornatam, in omni aeternitate gestare, conseruare, fouere, & suae gloriae immensae splendore perfundere, in perpetuum testimonium & pignus, sui erga nos amoris, & in Arrabonem, quod velit etiam haec nostra corpora mortalia, corruptibilia, immunda, & sordida, per mortem redacta in puluerem, & denuò reuocata in vitam, suo glorificato corpori conformia reddere, vt ex Paulo dictum est.

Cum igitur haecenus ostensum sit, hanc personam, quae assumpta nostra carne in caelum ascendit, & ad dextram Dei sedet, aequalem Deo Patri, infinitam, ubiq; presentem & efficacem esse, neque tamen omnes essentialis proprie-



prietates nostræ naturæ abiectissæ,  
 sed eam glorificatam ineffabili  
 splendore Maiestatis suæ, tueri,  
 gestare & fouere, ita tamen, ut  
 constet æternum discrimen & in-  
 æqualitas naturarum ex retentis  
 proprietatibus essentialibus utrius-  
 usque naturæ, diuinæ & humanæ,  
 & ut assumpta humana natura  
 ex suis proprietatibus agnosci possit  
 in illa ipsa vna persona, Do-  
 mino nostro Iesu Christo: citra  
 vllam tamen diuulsionem aut se-  
 parationem naturarum, quam nul-  
 lam in æternitate admittit illa ar-  
 etissima confœderatio & personæ  
 lis vnio λόγου & massæ à nobis  
 assumptæ:

Sequitur haud dubiè, nequaquam  
 humanam naturam ita ex-  
 æquari diuinæ naturæ debere,  
 omnium

omnium illarum proprietatum attributione, quæ diuinæ naturæ soli conueniunt, vt dicatur, naturam humanam in Christo, seu carnem Christi, seu Corpus Christi, esse in finitæ essentiæ, ubique omnia implere, quod tamen de Persona Christi, Dei & hominis, rectè & verè affirmari, supra dictum est.

Nam hæc exæquatio naturarum, secundum omnes proprietates essentielles, esset tandem relictura vnæ tantum naturam, & solam diuinam in Christo, à quo dogmate Ecclesia omnibus temporibus abhorruit, & per id nobis in hac vita summa consolatio, & in altera æterna vita ineffabilis læticia eriperetur, si sentientium sit, nullam amplius carnis nostræ

nostræ proprietatem & naturam  
 in Christo reperiri posse, atque ita  
 nulla indicia aut vestigia illius mi-  
 rabilissimæ, & nobis dulcissimæ  
 copulationis & uniois æterni  
 λόγῳ cum nostra carne, reliqua  
 superesse, cuius aut Filium Dei  
 puduerit aut pœnituerit, aut assu-  
 mendæ illius nullam seriam cau-  
 sam habuisse videri possit, si qui-  
 dem ad breuissimum tempus, pau-  
 corum tantum annorum, quos sæ-  
 per terra nobiscum commoratus  
 est, assumptam carnem nostram  
 gestare voluerit, cum tamen an-  
 tiqui Doctores constanter dicant:  
 Id quod semel assumpsit, nunquam  
 deposuit.

Hæc verè à nobis dici, multis  
 Scripturæ Testimonijs, & totius  
 antiquitatis consensu ostendi po-  
 test.

Quare

Quare etiam atq; etiam dan-  
 da est opera, vt hæc pars doctrinæ  
 diuinitus patefactæ, de indissolu-  
 bili vnione duarum dissimilium  
 naturarum in vnica persona Do-  
 mini nostri IESV Christi, etiam  
 post ineffabilem glorificationem  
 carnis assumptæ, minimè confusa-  
 rum, impugnata iam olim varijs  
 modis ab Hæreticis, sed à multis  
 sanctis ac eruditis Patribus in  
 Ecclesia magno studio, ardente  
 Zelo, & plurimis certaminibus  
 ac laboribus disputationum, collo-  
 cutionum, lucubrationum, tempore  
 Nestorij & Eutychis propugnata  
 & fortiter defensa, & per con-  
 sensum Ecclesiæ constantem, Dei  
 beneficio, ad nos vsque transmissa  
 & propagata, retineatur sincera  
 & incorrupta, & deinceps piè tra-  
 datur

datur in Ecclesijs nostris & alijs  
omnibus, vsque ad finem Mundi,  
& ad gloriosum reditum Filij Dei  
Domini & Fratris nostri IESU  
CHRISTI, vbi tandem post resu-

Philip. 3. τῆς ταπεινώσεως, & μετεχηματισμοῦ  
εἰς τὸ ἕξειν αὐτοῦ, ἡ δόξης αὐτοῦ, ἡ  
δοξῆς αὐτοῦ, illam admiratione di-  
gnissimam et arctissimam, & con-  
solationis plenissimam vniouem  
nostræ naturæ cum æterna & in-  
finita natura Filij Dei Domini  
& redemptoris nostri Iesu Christi  
cum æterna admiratione leticia  
& grata prædicatione coràm in-  
tuebimur, & consilium ac causas  
huius mirandæ copulationis ab  
ipso Filio Dei coràm audiemus  
& discemus, & in dulcissimo com-  
plexu huius benignissimi & amant-  
tissimi

tissimi fratris nostri in omnem æternitatem fovebimur, & ipsius sapientia, iusticia, luce, vita, læticia, & gloria perfundemur, quod ut citò fiat, ardentibus votis petimus.

Postquam iam exposui, quæ sit harum Ecclesiarum Confessio de Articulo Fidei nostræ, quo profitemur Christum ascendisse ad cælos, & sedere ad dextram æterni Patris, ubi necessario fuit dicendum de duabus naturis in Christo, earumque cum unione inseparabili, tum proprietatibus non mixtis aut confusis aut abolitis: accedo nunc ad alteram partem, ut ostendam, hanc gloriosam Ascensionem Christi in cælos, & sessionem ad dextram æterni Patris, qua Filius Dei carnem assumptam,

P                      retio

retinentem suas essentielles proprietates, & nequaquam ex aequa-  
tam in omnibus proprietatibus di-  
uinae naturae, subuexit in caelum,  
veram Corporis Christi presenti-  
am in Sacrosancta Coena non mo-  
dò non impedire, aut impossibilem  
reddere (vt aliqui contendunt)  
verum etiam confirmare & pro-  
babilem efficere.

Id verò hinc ostendi potest,  
quòd haec persona **I E S V S**  
**CHRISTVS** Dei & Ma-  
rie virginis Filius, quae prius in  
terra in maxima humilitate, se  
ipsam exinanians, neq; rapinam ar-  
bitrata, Deo aequalem esse, etiam  
secundum humanam naturam no-  
bis similis fuit imbecillitate, va-  
riarum rerum indigentia, & mor-  
talitate, &c. (absq; peccato) nunc  
in caelo

in caelo ad dextram Dei sedens, & ab illa humiliatione, & ut Paulus nominat, exinanitione liberata, regnat ut omnipotens Rex, equali potentia & maiestate cum Patre, tuetur & defendit suam Ecclesiam, & secundum humanam quoque naturam ineffabili gloria ornata est.

Et quia haec Persona infinita essentia & potentia, ubique esse, omnia implere, omnia ubique facere & dare, & ubique opem ferre potest, & ubicunque est, non absque assumpta humana natura est, quam inseparabiliter sibi semel unitam, in aeternitatem à se non abiicit, remouet, aut deserit, sicut aliquis vestem exuens in alium locum seponit, aut sicut Anima hominis per mortem separata, cor-



pus, quod prius sustentauit & gestauit, deserit: Cur non crederemus hanc, infinitæ essentia & Potentia personam, Dominum nostrum Iesum Christum, omnibus in locis, ubi fidelium sunt congressus, & Sacrata Cœna iuxta ipsius institutionem celebratur, adesse posse & velle, iuxta suam promissionem: **VBICVN**

**QVE** duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ibi Ego sum in medio eorum, & reuera presentem, suum Verum corpus & Verum sanguinem, modo nobis ignoto & imperuestigabili, verissimè tamen præsens, exhibendum & bibendum, sicut in verbis Cœnae affirmat?

Neque refert, nos hæc, quomodo

modo fiant, aut fieri possint, non  
 assequi, nec luce Rationis nostræ  
 indagare posse. Quot enim &  
 quam varia fieri in corpore nostro  
 experimur, quorum causas & mo-  
 dum, quo fiant, perspicere nequî-  
 mus? Et dictum est supra, diui-  
 nam potentiam nequaquam esse  
 metiendam aut æstimandam ex  
 caliginosæ mentis nostræ imbecil-  
 li lumine, quæ ne quidem illas res,  
 quæ ipsi aliquo modo subiectæ  
 sunt, & cognitæ esse debebant,  
 pernoscere satis potest: & quo-  
 modo Dei opera peruestigaret?  
 qui multa facere & sancire potest  
 & solitus est, quæ omne homi-  
 num, non modò quales nunc sunt in  
 hac corruptione & naturali cali-  
 gine mentis, sed etiam quales in in-  
 tegritate naturæ & omnium vi-

rium fuerunt, imò Angelorum quoque captum & intellectum excedunt? sicut initio exemplis probauimus.

Qua igitur re hic offenditur Ratio? Dicitur & creditur, id Corpus Christi, quod pro nobis in mortem traditum, & ab ipso ex morte & sepulchro in vitam & lucem reuocatum & in cælum subuectum est, in Cæna præsens exhiberi & manducari. Hoc quia impossibile esse Ratio indicat, recedens, & à proprietate Verborum recedens, quærit præsidium à Tropis, ut concinnam sententiam efficiat, quæ nihil ostendat impossibilitatis & absurditatis, & tunc tur se postea hoc fidei nostræ Articulo: Ascendit ad cælos, sedet ad dextram Patris, Ergo non potest

test corpus suum in terris nobis coram exhibere.

Sed considera Personam, quæ hæc verba dicit, & has res largitur. Ea est infinitæ essentiæ, quæ ubique est, omnia implet, ubique agere, ubique quiduis dare, & ea facere potest, quæ omnem Ratio- nis humanæ captum & lucem exu- perant.

Hæc infinita & immense po- tentiæ Persona, cuius dicta adeo certa, efficacia & immutabilia sunt, ut oporteat prius Cælum & Terram interire, quàm vnum se- rium dictum huius Personæ va- num aut irritum fieri, graui cum asseueratione in institutione sin- gularis & salutari Sacramenti dicit, se dare nobis suum Corpus

comedendum, & Sanguinem suum  
bibendum, quando in Cœna iuxta  
ipsius institutionem Panem & Vi-  
num edimus & bibimus.

Hoc ita fieri cur non crede-  
remus huic Personæ? quæ sedens  
ad dextram æterni Patris, regnat  
infinita potentia, ubique viua,  
potens, efficax, liberrima volun-  
tate agens ubicunq̃e vult, quæ  
hoc ipsum, quod se dare in Cœna  
affirmat, carnem videlicet suam,  
à nobis assumptam, & pro nobis  
in mortem traditam, & sangui-  
nem suum, similiter à nobis assum-  
ptum, & pro nobis effusum ad res-  
missionem peccatorum nostrorum,  
ubicunq̃e est, à se nusquam sepo-  
nit, aut abijcit, sed post illam se-  
mel factam inseparabilem unio-  
nem,

nem, in tota aeternitate sustentat, gestat, fouet, ideoque quibuscumque in locis vult, verè dare potest, & impertit omnibus, iuxta institutionem ipsius petentibus et accipientibus, modo facilimo ipsi, vt omnipotenti, & vbiq̄ue presenti, nobis verò imperscrutabili. Ipse enim cum sit & essentia infinitus, & potentia, etiam id quod finitum & <sup>non</sup> <sup>est</sup> <sup>revera</sup> <sup>presens</sup> <sup>dare</sup> potest, quibuscumque in locis id expeditur, & ipse se daturum promisit.

Ita retinemus articulum fidei nostrae de Ascensione Christi, & sessione ad dextram Patris, in pio & Sincero intellectu, sicut eam Catholica Ecclesia purior omnibus aetatibus docuit & professata est: & dicimus praeterea, quòd

P 5            huic

huic omnipotenti, & omnia im-  
 plenti, & ubiq; efficaci Domino,  
 non modo possibile, verum etiam  
 facile sit, suum verum Corpus, &  
 verum Sanguinem, in omnibus locis,  
 ubi ipsius institutio seruatur,  
 coram exhibere. Vnde hoc spera-  
 mus, bonis & docilibus persuasum  
 esse, Articulum de Ascensione  
 adeo non euertere nostram senten-  
 tiam de presentia Corporis &  
 Sanguinis Christi in Cæna, ut ma-  
 gis etiam eam stabiliat & robor-  
 ret, apud eos, qui suæ Rationis  
 oculos præcludentes, Oculis fidei  
 ἀνοραδᾶντες ad solum Verbum  
 huius Omnipotentis & Veracis  
 Domini respiciunt, eiq; cum dea-  
 bita reuerentia credunt  
 & obediunt.

V. Responsio ad  
 OBIECTIONEM DI-  
 ctorum ex Scriptura.

Quod autem nostræ Confes-  
 sioni obicitur, hanc senten-  
 tiam de vera presentia corporis  
 Christi in Cœna, aduersari etiam  
 quibusdam alijs perspicuis dictis  
 Scripturæ, Qualia sunt: Matth.  
 26. Pauperes semper habetis  
 uobiscum, me autem non sem-  
 per habetis.

Iohan. 16. Exiui à Patre &  
 ueni in mundum. Iterum re-  
 linquo mundum, & uado ad  
 Patrem.

Acto. 3. Iesum Christum  
 oportet cœlum suscipere usque  
 in tempora restitutionis omnis  
 um,



um, quæ locutus est Deus per  
os sanctorum suorum à seculo  
Prophetarum.

*Coloss. 3.* Igitur si consurre-  
xistis cum Christo, quæ supra  
sunt, quærite, ubi Christus est  
in dextera Dei sedens.

*Acto. 7.* Stephanus inten-  
dens in Cœlum, uidit gloriam  
Dei, & Iesum stantem à dextris  
Dei.

*1. Corinth. II.* Quotiescun-  
quæ manducabitis panem hunc  
& calicem bibetis, mortem  
Domini annunciabitis, **DO-**  
**NEC VENIAT.**

*Hæc dicta videntur remouere  
re præsentiam Christi à terra,  
eamq; Cælo includere. Quare ad  
huc censent confugiendum, iuxta  
Regulam supra scriptam, ad fig-  
gura-*

gurarum subsidium, ut panis dicatur significare corpus Christi, quod in caelo alicubi collocatum, fide apprehendi & comedi spiritualiter debeat.

Sed facilis est responsio, haec & eiusmodi alia dicta loqui de VISIBILI praesentia & conversatione Christi, sicut annos ferme 30. cum matre & agnatis, & non totos 4. annos cum discipulis & auditoribus suis vixit domestica consuetudine.

Ea SENSIBILIS societas & cohabitatio in terra, qua haud dubie letati Apostoli, libenter perpetuo usi fuissent, ablata est omnibus hominibus per ascensionem in caelum, usque ad diem, quo denuo redibit cum magna gloria,

gloria, specie visibili, & ea quidem terribili hostibus, persecutoribus, & contemptoribus, quem cum tremore aspicient, ut Iudicem, vindicaturum iniurias, contumelias, horribilia supplicia, quibus ipsum & membra eius in hac vita crudelibus modis affecerunt impij: Optata verò pijs in Ecclesia, qui eum ut Liberatorem & Fratrem letis acclamationibus excipient, & vicissim ab eo ad perpetuam consuetudinem cum Deo, & ad societatem gloriae & hereditatem omnium bonorum perducentur.

Interea vult suam Ecclesiam in hac vita suo Verbo & Sacramentis inuisere, docere, monere, consolari, & suo Spiritu Sancto regere, roborare, sanctificare, & nubis

nihilominus etiam personali præsentiā suis fidelibus adesse, ipsos tueri, protegere, munire, & seruare in omnibus periculis & necessitatibus, præsertim autem in publicis congressibus, ubi in ipsius nomine conuenitur, iuxta dictum ipsius Matth. 18. & ultimo, & Iohan. 14. Non relinquam uos orphanos, ueniam ad uos. Sed non uisibili specie, & sensibili conuersatione, quæ manibus palpari possit, Sicut ante passionem & mortem suam, & post resurrectionem cum Apostolis familiariter cohabitauit, & ut Iohannes dicit, ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν.

Sed hinc malè concluditur: Christus non adest amplius nobis sensibili cohabitatione, iuxta superiorius

perius allegata dicta, sed in celo  
est: Ergo non potest Verum &  
Substantiale corpus ipsius nobis  
coram in Cœna dari.

Nam etsi illud suum corpus &  
sanguinem, certis de causis, quas  
nos neq. scrutari debemus, nec, si  
velimus, inuestigare poterimus,  
nec nos scire necesse est, non voluit  
visibili specie & palpabiliter ex-  
hibere, sed in mysterio, & modo  
etiam fugiente captum mentis no-  
stræ: tamen ob causas supra pro-  
lixius expositas, & infra repe-  
tendas, statuere debemus certa fide,  
de, nitente serijs verbis veracis &  
omnipotentis & ubiq. præsentis  
Christi, dato & sumpto Pane &  
Vino, uerè nobis dari & à nos-  
tris percipi, manducari & hauriri Ve

241  
ri Verum ipsius Corpus et Verum Sanguinem.

Quare hæc & alia hisce similia dicta Scripturæ, loquentia de ablatione visibilis conuersationis Christi, nequaquam impugnant aut euertunt, aut incredibilem & impossibilem faciunt veram, & essentialem, vt sic dicam, sed occultam tamen et insensibilem præsentiam corporis & sanguinis Domini in Cæna.

## VI. Responsio ad DICTA PATRUM.

PRæterea obijciuntur nobis etiam quorundam Patrum et Ecclesiasticorum Doctorum dicta,  
Quæ

quæ seorsum considerata sine ijs,  
 quæ alijs in locis de eadem re ijsdem  
 Scriptores tradiderunt, videntur  
 patrocinari ijs, qui Panem & Vi-  
 num nuda Symbola & figuras esse  
 contendunt procul absentis, & in  
 cælo alicubi habitantis Corporis  
 & Sanguinis Domini.

Sed vera responsio est, quod  
 non modò ij Scriptores Ecclesiasticis  
 ci, qui diuersis temporibus vixerunt  
 & docuerunt, dissimiliter de  
 Sacratissima Cœna Dominica lo-  
 cuti sunt, Verum etiam ex ijs fere-  
 mè præcipui, ut Augustinus &  
 Ambrosius (si modo libri, qui  
 ipsorum nominibus inscribuntur,  
 verè ab ipsis facti & editi sunt, &  
 non alienæ lucubrationes ipsorum  
 voluminibus insertæ & insertæ  
 sunt, vt tantorum virorum ti-  
 tulis

tulus ornata legerentur auidius,  
 quod & hic valdè verendum est,  
 & nostra etate aliquoties factita-  
 tum esse experti sumus ) Secundo  
 ipsi non consentiunt, diuersis lo-  
 quendi modis vsi in alijs atque alijs  
 concionum & enarrationum sua-  
 rum partibus de presentia Cor-  
 poris Christi in Cæna, pro eo ac  
 se tulit occasio, & materia, de qua  
 differebant, permittere aut re-  
 quirere est visa, sicut vsitatissi-  
 mum est, imò aliquando etiam ne-  
 cessarium, vt de vna eademq; re  
 & causa, aliter dicatur coram in-  
 geniosis & eruditis in Schola, &  
 aliter coram rudibus, quibus non  
 nudis definitionum & argumen-  
 tationum lineamentis designan-  
 dae, sed varietate figurarum, si-  
 militudinum, & imaginum pin-  
 genda,



genda, & quasi sculpenda, & lus  
 minibus verborum ac gestibus  
 quasi orationis amplificanda &  
 exaggeranda sunt res illae, quar  
 rum amplitudinem & dignitatem  
 imperitorum animi non animadu  
 uertunt aut considerant. Alia ser  
 monis forma utuntur prudentes  
 Scriptores, quando contra erro  
 rem aliquem cum acuto aduersario  
 dimicant, & alia, quando audito  
 res suos rectè institutos, & con  
 sentientes de illa doctrinae parte,  
 commonefaciunt. Aliter & di  
 ligentius agunt de re, quam ex  
 professo explicare & tractare in  
 stituerunt: Aliter & minus ac  
 curatè loquuntur, cum obiter &  
 παρῆγγως, ut se occasio obtulit, eius  
 dem rei mentionem faciunt, in qui  
 bus fermè omnibus occasionum &  
 cir

circumstantiarum varietatibus, dissimiles locutiones & formæ orationis in explicatione vel descriptione vnius Articuli vel partis doctrinæ vsurpantur ab ijs, qui tamen de eadem non dissimiliter, sed vno modo sentiunt.

Quare hæc dissimiles loquendi formæ, non modò plurimum Doctõrum, qui diuersis temporibus scripserunt, verum etiam singulorum, vsurpatæ ab ipsis in diuersis operũ suorum partibus, pro vt vel explicandam sibi sumpserũt doctrinam de Sacramento Eucharistiæ, vel in eius mentionẽ obiter incurrerunt, nequaquam nos conturbare & mouere debent, vt propter pauca obscuriora dicta, quæ tamen ab illis ipsis Scriptoribus alio in loco illustrioribus formis declarata sunt,

vel correcta, vel palàm improba-  
 ta & reiecta, pro vt tempus & ar-  
 nimi ardor & impetus tulit: rece-  
 damus ab Euangelistarum &  
 Pauli consentientibus verbis, &  
 ex incertis dictis, dissimiliter as-  
 fectorum Scriptorum, aestimemus  
 & iudicemus hanc de Cæna Do-  
 mini doctrinam, contra firmum  
 consensum aliorum Doctorum,  
 imò etiam illorum ipsorum, qui  
 quod vno in loco parum proprie  
 & aptè dixerunt, alio in loco ac-  
 curatius & conuenientius cum  
 verbis Christi & Apostoli locuti  
 sunt.

Tantum nunc quidem ad hanc  
 obiectionem respondere volui,  
 postea prolixius dicturus de ve-  
 teris Ecclesie & antiquorum ac  
 recentum Scriptorum testimonijs,  
 ex

ex quibus manifestum fore spero,  
antiquam Ecclesiam & saniores  
Doctores probasse, tradidisse,  
& professos esse doctrinam de  
vera presentia Corporis Christi  
in Cæna.

## VII. Responsio

AD OBJECTIONEM:  
Quod defensio presentie Corporis  
Christi in Cæna, stabiliat Ido-  
latriam Papisticam.

Quod autem nobis obijcitur,  
quando veram Corporis  
Christi presentiam in Cæna pro-  
pugnamus & obtinemus, nos si-  
mul Idolatriam vniuersam stabi-  
lire, quam exercent Pontificij in  
celebratione Missarum angulari-

LA um,

um, vt vocantur, & in adoratione  
 inclusi, asservati, circumgestati  
 Panis: manifestam nobis fieri ini-  
 iuriam, palàm testari possunt scri-  
 pta Præceptorũ nostrorum, ex hac  
 Ecclesia & Academia emissa, quæ  
 extant, quibus seriò ex veris fun-  
 damentis & apertè illi abusus hor-  
 ribiles taxantur, refutantur &  
 damnantur. Et nos Discipuli quos-  
 que eo sumus animo, quod velimus,  
 Deo nos clementer adiuuante, pro  
 tenuitate & imbecillitate virium  
 nostrarum, omni studio & conatu  
 eosdem abusus impugnare & rejic-  
 cere, & vitam potius nostram a-  
 mittere, quàm easdem abominatio-  
 nes probare, aut in commissas nos-  
 bis Ecclesias denuò introduci aut  
 intrudi silentio nostro permittere,  
 quod fortassis quærit & conatur  
 Pon.

Pontifex efficere, hoc tempore vrgens Concilium, & miris artibus sese armans Monarcharum praesidio ad executionem impiorum & cruentorum Decretorum, cuius fraudes & violentiam Filius Dei Dominus & vnicus protector noster & Ecclesiae suae **I E S V S C H R I S T V S** irrita facere, & reprimere propter nominis sui gloriam dignetur.

Nos Dei beneficio ex certo & perspicuo Verbo Dei didicimus & docemus, quod vnicum & summè efficax ac pro omnibus sufficiens ac satisfaciens Sacrificium Propitiatorium oblatum & perfectum sit ab aeterno Filio Dei ex Maria virgine nato, redemptore & Domino nostro Iesu Christo, qui solus immutabili & irrea-

uocabili iuramento à Deo constitutus est summus Sacerdos secundum ordinem Melchizedek, qui Benedictionem populo suo afferret, hoc est, qui maledictum Legis, & iustam iram Dei & æternam damnationem auferens, amissam gratiam & iustitiam restitueret, qui sua intercessione nos Deo reconciliaret, & in ius filiorum, vnde nostra culpa excideramus, reponeret, & vt immota iusticie Dei requirentis ob violationem sanctæ Legis suæ, pœnam æqualem delicti amplitudinem, aut æquiualens precium pro peccato, plenè satisfieret: hic Sacerdos sese ipse Patri offerret, & immergeret sese, maclandū pro toto genere humano, atq; ita sanguine & morte sua

sua, nostra peccata deleret, & sua  
 potenti resurrectione omnes hostes  
 nostros, mortem, diabolum, por-  
 tas inferorum, victos exarmaret,  
 & effectum sui Sacrificij & vi-  
 ctoriae, ac arcanum consilium &  
 voluntatem diuinæ Maiestatis de  
 nostra redemptione impetrata &  
 effecta, nobis enunciaret, & à se  
 parta & recuperata beneficia, per  
 Euangelij doctrinam, quam ipse  
 ex sinu aeterni Patris protulit, in  
 ministerio, ad hoc ipsum constitu-  
 to, gratis offerret & donaret,  
 & simul doceret, nos ea beneficia  
 non operibus nostris promereri,  
 compensare, aut exaequare posse,  
 sed sola Fiducia misericordiae gra-  
 tis illa offerentis & donantis ac-  
 cipere, ijsque frui & letari, vt  
 verè nostris bonis, debere, eamque  
 fidem



fidem nostram languidam Sacramentorum pignoribus fulciret & roboraret; & Spiritu sancto suo effuso in pectora nostra per verbum & Sacramenta, ceu arrabone nos confirmaret, & nouitatem vitæ ac conformitatem cum lege sua, complendam in æterna vita, in nobis hic inchoaret, & peccatorum sordes adhuc inhaerentes partim eodem Spiritu Sancto emundaret, partim sua deprecatione & donata sua iusticia tegeret & occultaret, & tandem per mortem corporis prorsus aboleret.

Huius solius & unici summi Sacerdotis intercessionem, obedientiam, mortem & resurrectionem, dicimus esse unicum illud Sacrificium, quod fuerit æquiualens precium & inestimabile pro

pro peccatis totius mundi, cuius fiducia etiam Patriarchæ, & omnes  
 pij, ante exhibitionem Messiaë, saluati sunt, utpote edocti de eo  
 ab ipso Filio Dei in prima promissione, edita in Paradiso, & subinde  
 clarius illustrata, cuius Sacrificij dignitas & effectus etiam per  
 tot pecudum maectationes, & alios ritus per Mosen institutos, significatus, & quasi ob oculos pictus  
 fuerat, cuius sacrificij efficacia adhuc durat, & durabit, usque ad  
 finem mundi, & prodest ad consequendam remissionem peccatorum,  
 reconciliationem cum Deo, iusticiam, donationem Spiritus sancti,  
 adoptionem & hereditatem vitæ æternæ, omnibus, qui id  
 propria fide, vel excitata et firma, vel etiam tenui & languida  
 ap-  
 pre-

prehendunt, & sibi applicant, quæ  
 fides innixa indubitato verbo Eua-  
 ngelij confirmatur usu vel re-  
 cordatione Baptismi, & fœderis  
 in eo facti, & manducatione veri  
 Corporis Christi in Cœna, quod in  
 hoc ipso Sacrificio summi Sacer-  
 dotis in mortem traditum & Deo  
 Patri oblatum est, & haustione  
 veri Sanguinis, qui in hoc unico  
 Sacrificio in Cruce effusus est ad  
 ablutionem & deterfionem peccar-  
 torum, roboraturq; eadem fides his  
 ceu arris, & obfignatur, contra  
 omnes tentationes & impedimen-  
 ta, quæ territis conscientijs vel in-  
 dignitatis propriæ conspectus, vel  
 particularitatis periculosa cogita-  
 tio affert, qui quidem præcipuus  
 usus & fructus est huius Sacros-  
 sanctæ Cœnæ.

Contra hæc Pontifex Romanus cum suis asseclis sceleratè docuit & credi coëgit, hanc Cœnam ad hoc mandatam & institutam esse, ut in ea à quolibet Sacrificio, qui ab ipso vel Vicario Episcopo peculiariter ad hoc cōsecratus, unctus & rasus esset, & ad impurum cœlibatum iuramento se obstrinxisset, Deus nouo & singulari Sacrificio placaretur, in quo Filius Dei Dominus **IESVS CHRIVS**, quasi denuò excruciatus & maētatus, cœlesti Patri, ut mundissima & innocentissima & acceptissima victima, offerretur, cuius operis & oblationis tanta sit dignitas & efficacia, ut mereatur, idque ex opere operato, sine propria fide, remissionem peccatorum, reconciliationem, iusticiam, vitam,

vitam eternam, liberationem ex  
 Purgatorio, non modò celebranti  
 Missam, Sacrificio, verum etiam  
 alijs, viuentibus, & quidem maxi-  
 mè ære suo mercantibus, mortuis  
 vero, qui id opus vel ipsi in vita sua  
 magno emerant, vel ab heredi-  
 bus post mortem suam emi curaue-  
 rant: mereatur etiam liberatio-  
 nem ex morbis, carcere, & alijs  
 ærumnis, auersionem variorum  
 periculorum & calamitatum, for-  
 tunam & successum in peregrin-  
 nationibus, negotiationibus, exper-  
 ditionibus, & alijs institutis operi-  
 bus vocationis, quæ omnia consti-  
 tuta fuerunt & efficaciter serui-  
 runt ad oppressionem purioris &  
 necessariæ doctrinæ, de vera con-  
 uersione, & de fide in Mediator-  
 rem Christum, ad extinctionem  
 vere

Veræ Inuocationis, faciendæ fidu-  
 cia Mediatoris Filij Dei: ad ex-  
 tenuationem & contemptum offi-  
 cij & beneficiorum Christi, ad ex-  
 cruciandas & tristissima carni-  
 cina torquendas miseras conscien-  
 tias, ad extruendas alias abomina-  
 tiones & tetros abusus, quos hic  
 recensere nimis longum foret, quod  
 suprâ alicubi factum esse attentus  
 Lector meminit, quorum malo-  
 rum omnium nos certè nequaquam  
 vellemus participes fieri, quacunq;  
 ratione eorum stabilitiorem adiu-  
 uando, aut promouendo, & toto  
 pectore oramus Dominũ nostrum  
**IESVM CHRISTVM,**  
 vnicum Pontificem ac Sacerdo-  
 tem, vt ipse suam gloriam contra  
 hos laruatos Pontifices, contume-  
 liosos in sanctum Nomen, Ver-  
 bum,

R

bum, Sacramenta, & omnes salu-  
 tares ordinationes veri & eterni  
 Pontificis tueatur & vindicet, &  
 hos tetros abusus vnà cum mercas-  
 toribus Columbarū & Nummulari-  
 ijs, qui ex Precationis domo ipsi-  
 us fecerunt speluncam Latronum,  
 ex templo Ecclesie sue, flagello  
 iustæ iræ sue, præsertim contuma-  
 citer defensantes, & gladijs ac  
 flammis stabilientes hanc abomi-  
 nationem, potenter & efficaciter  
 exturbet, & ipsorum mensas, vo-  
 mitu & sordibus impietatis ple-  
 nas, ipse euertat.

Quòd autem docemus, profi-  
 temur & defendimus veram præ-  
 sentiam Corporis Christi, in Sa-  
 cratissima Cæna, ad tribuendum  
 Filio Dei debitum honorem veras-  
 citatis, & omnipotentie, & ad  
 confere-

conseruandam authoritatem verbi diuini, & præstandam conuenientem obedientiam mandato Christi: habemus huius nostri facti grauissimas & urgentissimas causas, quas postea enumerabimus. Simul autem sincerè & diligenter docemus de vero *Vsu* & fructu huius Sacrae Cœnae, & apertè reijcimus & damnamus Sacrificulorum Transubstantiationem, oblationem, seu Sacrificium Propiciatorium, opus operatum, seu meritum huius operis, manducationem vnius Sacrificuli pro multis, & alios cognatos abusus.

Quare iniuste accusamur, quòd hac defensione praesentiae Corporis in Cœna, quasi ancillarum operam locemus Pontificijs,



ad retinendos, excusandos & mu-  
 niendos abusus suos, quos serio des-  
 testamur et execramur, Nec valet  
 ratiocinatio: Credimus & docu-  
 mus in Cœna Domini verum Chri-  
 sti Corpus, cum Pane, verè, & cor-  
 ràm exhiberi, modo insensibili &  
 imperuestigabili, iuxta verba  
 Christi & declarationem Pauli:  
 Ergo approbamus & roboramus  
 impium abusum, qui ad doctrinam  
 de præsentia contra Verbum Dei,  
 & totius veteris Ecclesiæ autho-  
 ritatem & sententiam assutus, à  
 Pontificijs nunc omni genere atroc-  
 itatis suppliciorum defenditur:  
 Videlicet Christi Corpus ideo præ-  
 sens credi debere, vt per id & cum  
 eo in Missa priuata à Sacrificio  
 totus Christus sistatur quasi, &  
 offeratur, ceu victima, Patri, ad  
 placan-

placandam hoc oblationis opere  
 iram ipsius, aduersus peccata offerentis, & aliorum, & ad promouendam remissionem peccatorum, siue ipsi eam fide sua sibi applicent, siue etiam sine bono motu cordis hoc opus tantum celebrent, aut spectent, aut fieri curent. Hanc Consequentiam procedentem à re mandata, & habente firma testimonia in verbo Dei, ad tetros abusus, qui extra & contra apertam scripturam, & veteris Ecclesiæ consuetudinem accesserunt, viciosam & reijciendam esse, omnes sani intelligunt.

Agnoscamus nos solidas causas habere, cur præsentiam Corporis Christi in Cœna veram assueuerimus & tueamur. Sed illius præsentia veros vsus & fines si

mul docemus, videlicet ut singuli  
 quærentes confirmationem languis  
 dae suæ fidei, agrè & difficulter  
 apprehendentis ex verbo Evan-  
 gelij oblatam & denunciata re-  
 missionem peccatorum, & luctan-  
 tis cum dubitatione, ob conspectum  
 molis & multitudinis peccato-  
 rum, **IPSI** hoc præsens corpus  
 manducant in Cæna, & hunc præ-  
 sentem sanguinem Christi bibant,  
 non alium conducant nummis suis,  
 qui pro ipsis hoc faciat, atque ita  
 his preciosissimis pignoribus, qui-  
 bus ceu instrumentis Satisfactio  
 pro peccatis, & Solutio  $\lambda\epsilon\gamma\iota\sigma\upsilon$  per-  
 acta est, intra sese acceptis, sese  
 certò confirment, omnia illa bene-  
 ficia, quæ Dominus noster **IESUS CHRISTVS** morte  
 Corporis sui & effusione Sanguinis sui,

nis sui, peperit, ipsis certò donata esse. Præterea etiam illos qui accesserunt tetros abusus in Missa Papistica, seriò & manifestè arguimus & damnamus, neque vllò modo illos vel dissimulatione præterire, vel approbatione nostra stabilire volumus vel solemus.

Multò autem minus probamus aut confirmare cupimus professione huius sententiæ de præsentia Corporis Christi in Cæna, impiam & in Filium Dei contumeliosam ἀστολαργίαν, hoc est, religiosam asseruationem & inclusionem, pomposam circumgestationem, & cum omni gestu venerationis factam adorationem consecrati Panis, quasi ille extra vsum adhuc sit verū Corpus Christi, quod nulla

vel verisimili ratione Scripturæ  
probari potest, cum hæc Regula  
certa & indubitata sit: Cum

Sacramenta sint externæ actio-  
nes, & usurpationes rerum utili-  
bilibus ab ipso Deo peculiari  
ritu mandatæ, & institutæ, ad  
confirmandas mentes creden-  
tium de promissione gratiæ in

Verbo proposita: **NIHIL  
POSSE HABERE RA-  
TIONEM ET VIM SA-  
CRAMENTI, QVOD  
EST AVT FIT EXTRA  
VSVM,** quem Deus per Fi-  
lium suum sanxit & instituit.

*Vt recentium Iudæorum &  
Turcarum Circumcisio non est Sa-  
cramentum, per quod Deus ali-  
quid cum ipsis agere, ipsis aliquid  
largiri, aut vllam promissionem  
confira*

confirmare & obsignare velit,  
 cum Circumcisio ad hunc usum in-  
 stituta, et posteritati Abrahamæ man-  
 data sit, ut esset Signaculum Ius-  
 titiæ & confirmatio fidei, acci-  
 pientis remissionem peccatorum,  
 iusticiam, & certam spem salutis  
 & vitæ æternæ, propter promissum  
 semen, quod Sacramentum  
 ideo etiam illi parti corporis quasi  
 impressum erat, ut esset perpetua  
 commonefactio de venturo Semi-  
 ne, satisfacturo pro peccatis totius  
 mundi, & duraret ad eius exhibi-  
 tionem usq. Eo igitur exhibito,  
 prorsus desijt Circumcisio esse Sa-  
 cramentum, sicut Apostoli rectè  
 eam in prima illa sua Synodo  
 publico decreto aboleuerunt, Act:  
 15.

Sic tantum esset superstitiosus

R 5

abusus,

abusus, & non Sacramentum, si quis aqua Baptismi vellet vti ad sanationem lepræ aut vlceris, opinione tali concepta, Spiritum sanctum fore efficacem per hanc aquam, Extra ordinatum diuinitus vsum.

Ita de Cœna Dominica cogitandum est, quæ cum ad hunc vsum ordinata sit à Christo, ut ibi fiat sumptio Panis & Vini cum certa persuasione, quòd certò adsit, comedatur & bibatur verum Corpus & Sanguis Domini, ad cõfirmationem fidei de remissione peccatorum in verbo promissa, & simul cogitetur de causa impetratæ remissionis, hoc est, fiat recordatio mortis Domini, gratiarum item actio & publica Confessio, & prædicatio beneficiorum Christi, sicut

sicut verba ipsius iubent: Acci-  
 pite, Comedite, Hoc (scilicet,  
 quod comeditis) est corpus mes-  
 um. Item, Bibite ex hoc om-  
 nes, Hoc (scilicet, quod bi-  
 bitis) est Sanguis meus noui  
 Testamenti. Hoc facite ad mes-  
 am commemorationem. Et  
 Paulus addit: Quotiescunque  
 manducabitis Panem hunc,  
 &c. mortem Domini annun-  
 ciabitis, donec ueniat:

Facile intelligi potest, quic-  
 quid extra hunc usum in tracta-  
 tione Panis & Vini fit, non habe-  
 re rationem aut vim aut effica-  
 ciam Sacramenti, qualia sunt, quae  
 à Pontificijs extra verum & à  
 Christo mandatum usum sine vlllo  
 expresso verbo & mandato Dei  
 insti-



instituta, cum magna veneratione  
 celebrantur, vt cum Panis confen-  
 cratus in Ciborio inclusus, aut ele-  
 uatus & ostensus à Sacrifico in  
 Missa priuata, aut circumgestas-  
 tus in pompa Theatrica, omni ges-  
 tu venerationis colitur, tanquam  
 presentissimum numen, aut cir-  
 cum fines agrorum, ad custodien-  
 das segetes contra tempestates, aut  
 circum domos ardentes ad restin-  
 guendum incendium, aut ante Ro-  
 manum Pontificem in elegantissi-  
 mè ornato Caballo, more Persico  
 portatur, in quibus actibus omni-  
 bus, vt alienis ab vsu instituto, &  
 nullum vsquam mandatum in ver-  
 bo Dei habentibus, certum est, ni-  
 hil adesse, nihil ibi coli & adora-  
 ri, præter merum Panem, quæ Ido-  
 latria quanta & quàm turpis sit  
 Christi

Christiano nomini, & quanto te-  
trior sit, quàm vituli aurei adora-  
tio, facta ab Israëlitis in deser-  
to, dictum est superius, à qua  
animis & auribus abhorrere pia  
corda debent, & orare Deum, vt  
ipse illud Idolum subuertat, &  
abominationem desolationis ex  
suo templo eijciat, & pœnas Ger-  
manicæ mitiget, quas plus quàm  
Phalarica crudelitas in defensio-  
ne illius ἀπτολακτείας haud dubiè  
tandem attrahet.

Quod autem aliqui nunc con-  
tendunt, posse & debere Christum  
in Pane & Vino, veteri Papistico  
ritu, eleuato, vel ostenso, adorari,  
& veterem ritum eleuationis vel  
ἀναδείξεως eam ipsam ob causam  
magnificiunt, & renocandum in  
Eccle.

Ecclesias, ubi aliquandiu omissus  
 est, censent, ut populus assuescat ad  
 ardentiorē inuocationem Christi,  
 Imò eos, qui hunc ritum, ut  
 plenum periculi abolendum putant,  
 eo ipso pro suspectis, vel potius  
 pro conuictis habendos dicunt,  
 quòd parum piè & sincerè  
 de præsentia Corporis Christi sentiant:  
 necesse est de hoc quoque pauca  
 dicere, ad excusandos eos, qui  
 in nostris Ecclesijs, iam dudum,  
 viuente adhuc Reuerendo patre  
 D. Martino Luthero, eius maxime  
 exemplo moti, quem constat  
 fuisse acerrimum aduersarium negantium  
 præsentiam Christi in  
 Eucharistia, hanc ostensionem seu  
 elevationem Panis, super quo verba  
 institutionis recitata erant, commiserunt.

Fatemur

Fatemur igitur nos quoque  
 probare, & seruire, & vbi cunq̄ue  
 possumus, prouehere, exemplis &  
 monitis, hanc disciplinam, vt  
 non pueritia solum, sed adulti quo-  
 que adsuesciant ad reuerentiam &  
 modestiam præstandam in publi-  
 cis honestis congressibus Ecclesiæ,  
 quando textus verbi diuini publi-  
 cè recitatur aut canitur, vel quan-  
 do communes fiunt preces &  
 gratiarum actiones, quando Ba-  
 ptismus & Cœna Domini publicè  
 in Templo, vel priuatim in domi-  
 bus administratur, quando tres  
 personæ diuinitatis suis appella-  
 tionibus nominantur, quando Do-  
 mini & Saluatoris nostri I E-  
 SV CHRISTI fit mentio,  
 vt tum erectione corporis, nuda-  
 tione capitis, complicatione ma-  
 nuum,

nuum, flexione genuum, pro  
 cuiusque loci aut regionis fert con-  
 suetudo, & sine inepta supersticio-  
 ne fieri potest, ostendant, se vere  
 bum, quo se Deus immensa boni-  
 tate nobis miseris hominibus pro-  
 tefecit, & Sacramenta, quibus  
 nobis Christus sua beneficia, in  
 verbo oblata & donata gratis, ob-  
 signat, & ceu dato arrabone con-  
 firmat, magnifacere, & summi  
 Thesauri loco habere, & agnosce-  
 re, & certò credere, in pia & so-  
 bria tractatione verbi, & legitimi-  
 ma administratione Sacramentor-  
 rum, adesse Angelos Dei, imò cor-  
 ram adesse ipsum Filium Dei  
 Dominum nostrum IESVM  
 CHRISTVM, iuxta pro-  
 missionem suam saepe iam repeti-  
 tam, Matth. 18. qui velit per vera  
 bum

bum suum & Sacramenta à se in-  
 stituta, addito Spiritu sancto, ef-  
 ficax esse, & habitare in cordi-  
 bus credentium Verbo, & accen-  
 dere in eis clariorem lucem, &  
 planiorem intellectum verbi, ac-  
 cendere item fidem, timorem Dei,  
 dilectionem Dei, mouere cor-  
 da ad seriam gratiarum actio-  
 nem, inuocationem, studium obe-  
 dientiæ in vocatione, patientiam,  
 & velit exaudire singulorum &  
 publica vota & preces, sicut  
 ibidem promittit: Vbi duo ex  
 uobis consenserint super ter-  
 ram, de omni re, quamcunque  
 petierint, fiet illis à Patre meo,  
 qui in caelis est. *Et Iohannis 14.*  
 Si quis diligit me, sermonem  
 meum seruabit, & Pater meus  
 diliget eum, & ueniemus ad e-  
 um,

um, & mansionem apud eum  
faciemus.

Ob eam causam nominat etiam  
Christus Ecclesiam, & loca,  
in quibus conuenit Ecclesia precat  
tionis causa, SVAM DOM  
MVM, significans se presentem  
adesse, & cohabitare quasi velle  
precantibus, sicut ipse est <sup>in</sup> <sup>hoc</sup> <sup>loco</sup>  
precationum pro Ecclesia, inter  
pellans pro nobis, & nostras pre  
ces suis adiungi postulans, & eas  
suis coniunctas suo cœlesti Patri  
offerens & commendans.

His de causis valdè nobis plas  
cet, omnia in illis publicis congress  
sibus Ecclesie decenter, ordinatè,  
modestè, verecundè, reuerenter,  
elegantè, deuotè geri, sicut &  
Paulus præcipit I. Corinth. 14.  
πᾶν

πάντα ἐν χυμῶσι καὶ τὰ ἔξω γινέσθω,  
 & omnes gestus, & cultum corpo-  
 ris, præ se ferre amorem & studi-  
 um pietatis, & reuerentiam erga  
 sacrosanctum Ministerium, nec  
 probare vel possumus vel volu-  
 mus quorundam vel irreuerenti-  
 am vel ἀσεβείαν, vel etiam inter-  
 dum profanitatem & barbariem,  
 qui in templo obambulantes, ali-  
 quid nouitatum inter se communi-  
 cant, vel commercia exercent, vel  
 alioqui astant aut sedent indecoris  
 gestibus inter concionandum &  
 publicam συνέξιν, non aliter, ac si  
 in foro circulum aliquem imple-  
 rent, aut in conuiuio animi & vo-  
 luptatis gratia accumberent semi-  
 ebrij, & oscitantes, vel etiam ster-  
 tentes, nullum gestum aut signum  
 edunt animi attendentis ad id, vel



magnificentis id, quod in illis publicis conuentibus vel dicitur, vel canitur, vel quoquo modo geritur.

In hac attentione & obseruatione disciplina omnium maximè præstandæ in Templis, post curam diligenter & cum fructu audiendi diuinam vocem, qua suam voluntatem Deus ipse patefecit, præcipua debet esse cura & studiū vere Inuocationis. Ideo enim conuenimus in Templo, Primum, vt simul audiamus nobiscum loquentem Filium Dei, in verbo Euangelij, offerentem nobis agnoscentibus nostram miseriam sua beneficia: Deinde vt illa gratis oblata beneficia in Verbo, fide amplectamur, eamque usu Sacramentorum robaremus: Postremò vt vicissim Deum alloquamur,

quamur, communi voce gratias agentes pro acceptis beneficijs, & coniunctis gemitibus in nomine & fiducia filij Mediatoris eum invocantes. Ea que invocatio debet perpetuò ad Filium verè præsentem respicere, non tantum vt ad Interpellatorem seu Mediatorem, propter quem nostræ preces placeant Deo, & exaudiantur, sed etiam vt ad Opitulatorem, qui ipse possit & velit præstare id, quo nobis opus est, Sicut inquit Iohan. 14. Quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis ME, in nomine meo, hoc faciam.

Cum igitur nullum sit dubium, Christum præsentem adesse in ministerio à se instituto, hoc est, in

tractatione incorrupti verbi, &  
 in administratione & usurpatione  
 ne legitima Sacramentorum, &  
 in pia ac sobria precatone, iuxta  
 ipsius veracissimam promissionem:  
 debet inuocatio ad Christum diri-  
 gi tanquam ad certò presentem,  
 & ea cogitatio presentie Filij  
 Dei Domini nostri Iesu Christi,  
 debet in nobis accendere & alere  
 reuerentiam & attentionem ad  
 ea, quæ ibi publicè dicuntur & ge-  
 runtur, vt cogitemus nos audire  
 ipsum in suggesto stantem, & nos  
 sua voce alloquentem, monentem,  
 docentem, consolantem, & statuam  
 mus ipsum ad aram consistentem  
 nos suo Sacratissimo corpore pas-  
 scere, & precioso sanguine recre-  
 are.

Quod autem dicitur à quibus-  
 dam,

dam, Christum in Pane esse adorandum, & ad tractationem, elevationem, ostensionem Panis naturalis, debere inuocationem, gemitus & vota conspicuis adorationis gestibus effundi: Valdè periculosum est, & manat hæc opinio ex animis eorum, in quibus residet adhuc persuasio illa Papistica de Transelementatione panis in corpus Christi, vel in ipsum potius Christum, quem dixerunt Monachi post semel pronunciata verba ibi latitare opertum accidentibus Panis, ex quo commento & adorationem illam & reliquos abominandos abusus exculperunt postea, à quibus cum totis viribus mentis nostræ abhorreere debeamus, erat profectò cauendum, ne quid tale tuendum susciperetur,

S 4      quod

quod illos tetros abusus confirmare, aut in Ecclesias nostras reducere videretur, quod aliquo modo facit illa coram Pane eleuato aut ostenso vsurpata abiectio corporis in genua, complicatio manuum, pulsatio pectoris, & alij similes gestus, indicantes adorationem directam esse ad Panis motum seu tractationem.

Magna res est Adoratio seu Inuocatio, & singularis, inò summus cultus Dei in Ecclesia, que tribuit ei, ad quod directa est, & in cuius honorem & cultum præstat, omnes proprietates Dei, quòd sit infinitum essentia, bonitate, sapientia, potentia, beneficentia, misericordia, quod vbiq; præsens, omnium cordium cogitationes & gemitus videat & intelligat,

gat, omnis generis bona largiri,  
ex omnibus necessitatibus eripere,  
omnia impendentia pericula auer-  
tere possit.

Præterea complectitur vera  
Inuocatio omnes alios interiores  
cultus, mandatos in primo præce-  
pto, vt Timorem Dei, metuentem  
iram & offensam eius, quod inuo-  
catur, & humiliantem ac abijci-  
entem sese infra id, tanquam mul-  
tò potentius, quod inuocatur, Item  
complectitur Fiduciam et Dilectio-  
nem, tribuentem ei laudem omni-  
potentiæ, bonitatis & clementiæ,  
quod inuocatur, complectitur pro-  
missionem obedientiæ & gratitu-  
dinis debitæ ei, cui, vt naturæ be-  
neficæ, præstatur Inuocatio.

Cum igitur tantus sit cultus

§ 5      ado<sup>2</sup>

adoratio, omnes virtutes comple-  
 etens, omnia summa tribuens, et om-  
 nes vires hominis, imò totum ho-  
 minem cum omnibus quæ habet, et  
 naturæ subijciens & dedens, ad  
 quam dirigitur inuocatio: Deus  
 præcipuè illum cultum sibi vult &  
 mandat tribui, & nulli Creaturæ,  
 quantumuis præstanti & ornata  
 donis, sicut textus Deut. 4. Mat-  
 thei 4. expressè dicit: DOMINVM  
 DEVM TVVM ADORABIS, ET  
 ILLI SOLI SERVIES. Et Angelus  
 Apocal: vlt: Iohannem adorantem  
 ipsum prohibet, inquit:  
 Ne facias, conseruus enim tuus  
 sum, & fratrum tuorum Pro-  
 phetarum, & eorum qui ser-  
 uant uerba libri huius, DE-  
 VM ADORA.

Tum autem hoc grauissimum  
 dictum

dictum benè consideretur, quo  
 Christus refutat imaginationem  
 Samaritanæ mulieris Iohan. 4.  
 quæ ipsa quoq; adorationem ad cer-  
 tum locum alligare volebat, cum  
 diceret: Patres nostri in monte  
 hoc adorauerunt, & vos dicitis,  
 quia Ierosolymis est locus, ubi a-  
 dorare oportet, respondet Iesus:  
 Mulier crede mihi, quod hora  
 ueniet, quando neq; in monte  
 hoc, neq; in Ierosolymis adora-  
 bitis Patrem. Vos adoratis  
 quod nescitis, Nos adoramus  
 quod scimus. Quia salus ex Iu-  
 dæis est. Sed ueniet hora &  
 nunc est, quando ueri adorato-  
 res adorabunt Patrem IN SPL  
 RITV ET VERITATE.  
 Hoc est, non affigent suam ado-  
 rationem ad hunc vel illum locum,  
 ad hanc



ad hanc vel illam Creaturam, aut  
 imaginem, sed inuocationem sua  
 am instituent iuxta Verbum, quo  
 se Deus editis ingentibus miracu-  
 lorum testimonijs patefecit, quod  
 Verbum docet, Cui debeat inuoca-  
 tio, addit Mandata & Promissi-  
 siones, vt eò animosius & maiore  
 cum fiducia, & spe effectus, petan-  
 tur res necessaria, monstrat Me-  
 diatorem, per quem & propter  
 quem preces exaudiuntur, et in ta-  
 li adoratione, quæ ad Verbum seu  
 patefactionem veri Dei, & ad  
 Mediatorem respicit, non ad Crea-  
 turam, Spiritus Sanctus est effu-  
 cax, docet & adiuuat nos orare,  
 sæpè nescientes, quid oremus, sicut  
 oportet, & postulat pro nobis ge-  
 mitibus inenarrabilibus, Roma. 8.  
 Ideo addit Christus: Nam & Pa-  
 ter

ter tales quærit. Spiritus est  
Deus, & eos, qui adorant eum,  
in Spiritu & Veritate oportet  
adorare.

Cum igitur adoratio seu inno-  
catio sit summus cultus, haud du-  
biè soli Deo, & nulli Creaturæ,  
tribuendus, & fieri debeat in Spi-  
ritu & Veritate, hoc est, regi de-  
beat simpliciter verbo, quo se De-  
us patefecit, & intueri Deum,  
qualem se in Filio Mediatore pa-  
tefecit, & adiuuari à Spiritu  
Sancto: Sequitur, nullum homi-  
nem tantum sibi audaciæ sumere  
debere, vt velit adorationem sine  
expresso & perspicuo Verbo &  
mandato Dei, ad aliquid creatum  
alligare & affigere.

Iam certò constat, nullo ver-  
bulo

bulo in institutione Cœnæ, sicut ab Evangelistis & à Paulo ea diligentissimè descripta est, quicquam significatum vel mandatum esse, de adoratione Panis, vel de adoratione Corporis Christi in pane, sicut aliqui solent loqui: Sed hoc vnum præcipi, vt illum Panem, atq; ita Corpus Domini, manducemus, idq; faciamus ad ipsius recollectionem.

Et quamuis dicere aliquis vellet, non adoro Panem, sed Christum, præsentem haud dubiè in Cœna: bellè quidem dicitur, sed tu tamen istam tuam adorationem & gemitus extollis & usurpas tuum primùm, cum cernis naturalem Panem manibus Sacerdotis sustolli & ostendi, atque ita sine dubio alligas & defigis tuam invocationem

neni ad ipsum simul elementum, sine certo et expresso verbo & mandato Dei, quod profecto periculosissimum est.

Et Idolatræ Iudæi & Ethnici eodem modo se excusare poterant: Non inuoco lignum, saxum, aurum vel argentum, ex quo statua facta est, sed ipsum Deum, qui se huic vel alij Sancto viro, hoc in loco, in tali specie patefecit, vel ex certo periculo eripuit &c. neq; tamen eò minus à Prophetis duriter obiurgantur, & talis adoratio ad Elementum certum, humana auctoritate, sine verbo & mandato Dei, affixa & directâ, fœda Idolatria & FORNICATIO nominatur, & seuerissimè damnatur, & horrendis pœnis digna iudicatur, quæ etiam postea secutæ sunt,

sunt, sicut Prophetæ prædixerant.

Sed ponamus, homines ætate vel ingenio intelligentiores, posse suas cogitationes & inuocationem defigere ad verū Deum et Dominum nostrū IESVM CHRISTVM, eumque ita in Spiritu adorare, sicut Christus postulat: tamen illa deiectio corporis & similes gestus adorationis, tum præcipuè editi, quando Panis elevatus monstratur, eam ob causam periculosi & improbandi sunt, quòd per illos gestus, homines rudes, & per ætatem imbecilles, & nondum rectè instituti, offenduntur, quia cogitant & credunt, talem adorationem tribui & oportere tribui visibili elemento & creaturis, cum imbecilles animi, ex  
ignora

ignorantia Verbi, non possint suas  
 cogitationes auertere ab eo,  
 quod foris conspicitur, & mente  
 intueri Deum iuxta suas patefa-  
 ctiones, atq; ita inuocare eum, vt  
 Spiritum, & incorporeum & in-  
 creatum, in Spiritu & Veritate:  
 Sed cum assuefiunt, vt ad eleuatio-  
 nem Panis procumbant in genua,  
 & adorent, tunc pariter & oculi  
 & animus talium imbecillium est  
 defixus in illud externum visibi-  
 le, cui hunc honorem adorationis  
 & inuocationis exhiberi credunt,  
 tanquam numini, habenti poten-  
 tiam & voluntatem liberandi, be-  
 nefaciendi & saluandi, quod pro-  
 fectò probari & concedi non po-  
 test.

Ad hæc confirmat ista adora-  
 tio Panis, seu ad Panem eleuatum

T aut

aut ostensum directa inuocatio,  
 supra refutatum multis modis de-  
 testandum commentum Papista-  
 rum de Transubstantiatione Pan-  
 nis, & locali ac durante etiam ex-  
 tra usum institutum inclusione  
 Corporis Christi intra Panis acci-  
 dentia, quod ipsum quoque omni ra-  
 tione fugiendum est.

Quare diligenter attendant  
 omnes & Ecclesiarum gubernato-  
 res, & politici Magistratus, qui  
 tantopere laborant de elevatione  
 consecrati Panis, quæ multis in locis  
 utiliter abrogata est, vel retri-  
 nenda, vel reuocanda in Ecclesi-  
 am, qui & quales sint gestus po-  
 puli, quando fit *avádakis* Panis.

Si animadvertent, rudem po-  
 pulum

pulum manifesta signa serie inuoca-  
 tionis ad ostensionem sublatis  
 Panis edere, & sicut olim in Pa-  
 patu consuetudo fuit, post illam  
 affectionem & adorabundam sa-  
 lutationem, in elevatione Panis  
 (quem imperitum Vulgus olim  
**den Herrgott**, Dominum De-  
 um vocabat, quod horrendum re-  
 latu et auditu est) statim ex Tem-  
 plo sese proripere, quasi peracto  
 iam omni cultu Dei: Omnino mil-  
 lies tutius & consultius, imò pro-  
 fecto etiam necessarium est, ad pro-  
 hibitionem talis Idolatriæ (quo-  
 modo enim non appellem hoc no-  
 mine, manifestam inuocationem  
 creati, & ab homine formati Pa-  
 nis.) abrogare semel totum illum  
 eleuandi ritum, vt talia scandala  
 ex Ecclesia tollantur.



Neq; verò eo minus potest &  
 debet populus de vera presentia  
 Corporis Christi, & de conueniente  
 reuerentia in ipso vsu Cœnæ insti-  
 tui & assuesieri, & imprimis dili-  
 genter doceri & moneri iuuenes  
 ac rudiores, vt in illis publicis con-  
 gressibus in Templo ante & post  
 concionem, & precipuè quando  
 Eucharistia populo distribuitur,  
 omisiss alijs futilibus cogitationi-  
 bus, & actionibus, cum Deo collo-  
 quantur, & procumbentes in ges-  
 nua, aut alio reuerentiâ ostendente  
 gestu, preces suas cum gratiarû ac-  
 ctione ardentes fundant & diri-  
 gant ad Deum in Verbo suo pates-  
 factum, in nomine & fiducia Filij  
 Mediatoris, & ad ipsum Filium  
 Dominum nostrum **IESVM**  
**CHRISTVM**, qui sine vlla du-  
 bita-

bitatione in tota illa actione, ubi  
 ipsius Verbum docetur, ubi preces  
 fiunt, ubi ipsius beneficia celebran-  
 tur, ubi recitationes & cantiones  
 fiunt ex ipsius Verbo desumptæ, et  
 imprimis ubi Cœna ab ipso insti-  
 tuta legitimè celebratur, præsens  
 adest, & Corpus ipse suum cum  
 Pane comedendum, et Sanguinem  
 suum cum Vino bibendum, per mi-  
 nisterium hominis, ad id ab Eccle-  
 sia ordinati, exhibet ac distribuit.  
 Debent item preces dirigi ad Spi-  
 ritum sanctum, quem Filius præ-  
 sens à Patre effundit in corda au-  
 dientium cum attentione verbum  
 Euangelij, & accipientium Cor-  
 pus & Sanguinem ipsius in Cœna,  
 iuxta institutionem, ut per illa  
 media sit in ipsis efficax, doceat &  
 illuminet, regat & sanctificet  
 T 3 ipsos,

ipſos, accenſis talibus in eis motibus, qui congruant cum Lege & Voluntate Dei.

Hæc debent & poſſunt doceri & ſalutariter fieri, etiam abſoluto illo periculoſo ritu oſtenſionis eleuati Panis.

## VIII. Reſponſio

AD OBJECTIONEM,

Quod dimicemus de re non neceſſaria & inutili.

QUod verò præterea nobis obijcitur, nos dimicare de manducatione præſentis Corporis Domini in Cœna, ſine vrgentibus cauſis, cum illa non modo Improbabilis ſit, verum etiam ad conſecutionem cœleſtium bonorum & bene

beneficiorum Christi, nec Neces-  
 saria nec valdè Vtilis, quando-  
 quidem Spirituales manducatio,  
 de qua Christus inquit Iohan. 6.  
 quæ sit sola fide, sufficiat, & a-  
 bundè sit efficax ad percipienda  
 non solum omnia beneficia parta  
 per mortem & resurrectionem  
 Christi, verum etiam ad ipsum  
 Dominum acquirendum cum o-  
 mnibus suis bonis: agnoscimus &  
 fatemur, magnificè & splendidè  
 dici & exaggerari posse. Nam  
 certissimum est, & nullo modo ne-  
 gari potest aut debet, Spiritualem  
 manducationem & sumptionem  
 Corporis & Sanguinis Christi,  
 quæ à quolibet fieri potest, qui ex  
 audito Euangelio Dominum no-  
 strum IESVM CHRISTVM cum  
 omnibus suis beneficijs firma fidu-

cia apprehendit, necessariam esse, adeò quidem, vt Sacramentalis manducatio, qua dicimus & credimus verum Corpus Christi in presentia cum Pane percipi, si absit illa spiritualis, non modo quæ sita bona in vsu Cæne non adipiscatur, verum etiam iudicium Dei & pœnas sibi attrahat, sicut Paulus clarè dicit: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.

Sed breuiter respondeo, paulò post enumeratum iri causas, quibus mouemur, vt Sacramentalem manducationem Corporis, quam ore fieri dicimus, retineamus, de qua tamen non ita pugnamus, quasi velimus Spiritualem manducationem ab vsu Cæne Dominicæ excludere, aut separare, quam

quam certum est ipsa verba Christi  
 si instituentis Cœnam manifestè  
 requirere, cum inquit de Corpore:

PRO VOBIS DATVR, & de San-  
 guine: PRO VOBIS EFFVNDI-  
 TVR AD REMISSIONEM PEC-  
 CATORVM, quæ verba sine vlla  
 dubitatione requirunt Fidem, qua  
 agnoscas & firmiter statuas, ob-  
 lationem & mortem Corporis  
 Christi, & effusionem Sanguinis  
 in Cruce factam, prodesse ad com-  
 pensationem & remissionem pec-  
 catorum non modo aliquorum ho-  
 minum, sed etiam TVORVM.

Eandem Fidem & Spiritua-  
 lem manducationem requirit Chri-  
 stus, cum inquit: HOC FACITE  
 IN MEI COMMEMORATIONEM,  
 hoc est, considerate, quare in hunc  
 T 5 mun-

mundum venerim, assumpta carne  
 vestra, cur in ea passus, sanguinem  
 meum profuderim, & mortuus  
 sim, non voluptatis certè & de-  
 liciarum causa, quas in tam acer-  
 bis cruciatibus querere aut expe-  
 ctare non debui, Sed VESTRÆ  
 SALVTIS CAUSA, vt vos à pec-  
 catis vestris, ab ira Dei, à maledic-  
 tione Legis & æterna damnatione  
 ad mortem & infernalibus tormen-  
 ta, & à cæteris hostibus vestris li-  
 berarem, quæ quidem liberatio,  
 cum omnibus bonis, quæ acquisiui  
 hac mea obedientia & morte, Ves-  
 tra erit, si ea beneficia omnia, gra-  
 tis oblata vobis in verbo meo, fide  
 & fiducia accipietis, illis fruemi-  
 ni & letabimini, tanquam verè  
 vestris, & horum benefactorum  
 meorum memoriam grata prædi-  
 catione

catione subinde vobis renouabitur  
& celebrabitur.

Talem fidem & spirituales  
manducationem requirit etiam A-  
postolus, cum inquit: Quoties-  
cunque manducabitis Panem  
hunc, & Calicem bibetis, MOR-  
TEM DOMINI AN-  
NUNCIABITIS. Item:  
Probet autem seipsum homo,  
& sic de Pane illo edat, & de  
Calice bibat, significans, omnes  
eos qui velint hanc Cœnam sumere  
cum suo fructu, & effugere iudici-  
um & pœnam, oportere in-  
se descendere, & inquirere suam  
miseriam, & sordes peccatorum  
agnoscere, & serio dolore metu-  
ente iustam iram Dei, deplorare,  
& confiteri, quod non possint vl-  
lis suis virtutibus aut bonis operi-  
bus,



bus, si qua habeant, ab ira Dei & eterno interitu sese vindicare: & tamen in his doloribus respicere & intueri Christum in Cruce patientem & morientem, & causas illius passionis & mortis in hac innocente persona considerare, & beneficia per illam parta firma fide amplecti & sibi applicare.

Hoc modo iubet Paulus seipsum Probare, et suam immundiciem ac naturæ corruptionem aspicere, & mortem Domini annunciare, & non ALIIS tantum illa, que gesta & impetrata sunt à Christo patiente & moriente, ostendas, sed TIBI IPSE, tuo conscientia sauciato & peccatorum conscientia sauciato & afflicto cordi, annuncies, & certò persuadeas, ut credat,

credat, hanc mortem pro TE  
 quoque susceptam esse, ut TV O-  
 RV M peccatorum esset precium  
 & compensatio, cuius beneficijs  
 TV quoque frui & letari possis  
 & debeas.

Hoc uniuersum est & dicitur,  
 Corpus seu Carnem Christi spiri-  
 tualiter edere, & Sanguinem eius  
 Spiritualiter bibere, quod omnino  
 ad salutarem vsum, & efficacem  
 operationem huius Sacramenti ne-  
 cessarium est, id quod palam confi-  
 temur, & in Ecclesia nostra audi-  
 toribus nostris saepe proponimus,  
 declaramus & inculcamus.

Quod autem ab aliquibus Spi-  
 ritualis manducatio tantopere prae-  
 dicatur, quasi illa sola sufficiat  
 in Ecclesia, vnde hoc sequeretur,  
 hanc Sacramentalem manducatio-  
 nem

nem præsentis Corporis Christi  
 nec necessariam, nec utilem esse:  
 eis verò nullo modo vel possumus  
 vel volumus suffragari. Nam si  
 hoc ita esset, mox aliud inde con-  
 cludi posset contumeliosum in Fi-  
 lium Dei: hanc Cœnam prorsus  
 frustra sine urgente causa, & sine  
 aliqua insigni utilitate ab ipso in-  
 stitutam fuisse, & proinde eius  
 usum & omissionem pariter arbi-  
 trariam & liberam esse: Cum tur-  
 men haud dubiè Christus, ut infi-  
 nitæ Sapientiæ Deus, nihil fecerit  
 & ordinaverit frustra, & supra  
 dictum sit, ex omnibus circumstan-  
 tijs et gestibus et sermonibus ipsius  
 colligi posse, magnum quiddam &  
 arduum & admodum necessarium  
 eum instituere voluisse, quandoqui-  
 dem Cœnam suã ordinavit, ea ipsa  
 ferme

ferme hora, qua cum morte & ira  
 Dei luctabatur, præmissa gratia-  
 rum actione & singulari ritu be-  
 nedictionis, & talem quidem cœ-  
 nam, quæ debebat esse ad finem  
 usque mundi certum quasi pignus  
 & Arra Novi Testamenti, quod  
 paulo post morte & sanguine suo  
 signaturus & ratificaturus erat,  
 ideoque eam nequaquam arbitra-  
 riam nobis esse, sed usurpari eo  
 ipso modo, quem ipse sanxit, vo-  
 luit, & serio præcepto mandavit,  
 inquit: **HOC FACITE,**  
 minimeque contentus eam semel in  
 tota vita aut raro celebrari, Sicut  
 Baptismus semel acceptus, cuilibet  
 sufficit, & sine peccato non itera-  
 tur: Sed voluit hanc suam Cœnam  
 iterum atque iterum, imò in omnibus  
 publicis congressibus ad sui recor-  
 datio-

dationem usurpari, sicut Paulus  
 testatur Christum dixisse: HOC  
 FACITE QUOTIESCUNQUE BE-  
 BERITIS, & addit ipse: QUO-  
 TIESCUNQUE ENIM COMEDE-  
 TIS PANEM HUNC, &c. Item.  
 QUANDOCUNQUE CONVENI-  
 TIS, &c. Quasi velit dicere Chris-  
 stus: Cum hoc meum Corpus pro  
 vobis traditum accipitis & come-  
 ditis ad mei recordationem, &  
 Sanguinem meum pro vobis effu-  
 sum bibitis ad mei recordationem,  
 non poteritis hoc toties facere,  
 quin mihi gratum sit futurum, &  
 vos fructum istius vestrae sum-  
 ptionis percepturi sitis, operante in  
 vobis Spiritu sancto, qui haud du-  
 biè efficax est in ijs, qui verbum  
 meum cum attentione audiunt, &  
 Sacramentis meis legitime utun-  
 tur.

Cum

Cum igitur hoc serium mandatum extet, & tempus ipsum, quo hæc Cœna instituta est, arguat & testetur, nequaquam eam sine grauissimis causis, & ad nullos singulares vsus Ecclesiæ, toties repetendam, commendatam esse, etsi Spiritualem manducationem maximi facimus, & summè utilem & necessariam esse, & vsui Cœnæ huius omnino adiungendam esse, clara voce affirmamus & contendimus: Tamen non concedimus hoc cuiquam, alteram hanc Sacramentalem manducationem Corporis Christi, quæ fit ore corporis (vbi haberi potest) non ipsam quoq; necessariam, aut frustra institutam & inutilem ac arbitrarij vsus esse.

Et est profectò pudendum & turpe

turpe auditu, in Ecclesia Christi  
 aliquos inueniri, & quidem in or-  
 dine docentium & gubernatorum,  
 sapientia et eruditione multis alijs  
 antecellentes, qui hanc sacratissimam  
 Cœnam, & Sacramentalem  
 in ea manducationem Corporis  
 Christi, quam vniuersa Ecclesia  
 Apostolica ab initio vsq; (sicut ex  
 Paulo & ex vetustis Scripturis  
 manifestum est) omnibus tempo-  
 ribus pro ingenti & ineffabili &  
 preciosissimo Mystero, & pro  
 thesauro Ecclesie, & pro  
 presentia & beneficentia Christi,  
 pro medicina salutari egrarum  
 conscientiarum, pro vinculo &  
 neruo communis consociationis  
 membrorum in Ecclesia, habuit,  
 prædicauit, & cum summa reuer-  
 rentia

rentia in omnibus publicis congressibus, cum periculo saepe capitis, propter Tyrannorum saeviciam, tales congressus metu seditionis prohibentium & dissipantium, celebravit: ita vilem ipsi habeant, adeo extenuent, imò abiciant & contemnant, ut dicere audeant, eam nec necessariam, nec utilem esse, eo quòd omnia illa, quae hinc peti debeant, ex spirituali manducatione sumi queant:

Cum è contrario nos potius deceat, hoc Mysterium propter ipsum authorem pro necessario & summe utili habere, maximi facere, & reuerenter, ac, sicut praecipitur, saepe usurpare, etiamsi nullam nos necessitatis aut utilitatis rationem perspicere possemus, hanc

V 2      ipsam



ipsam ob causam, quòd scimus &  
 fateri omnes necesse est, hanc Coe-  
 nam & manducationem, quae ore  
 Corporis fit, non ab aliquo vili ho-  
 mine, non à Rege aut Imperatore,  
 non ab Angelo, sed ab ipso Filio  
 Dei Domino & Fratrem nostro IESU  
 CHRISTO, nos arden-  
 tissimo amore complectente, & nos-  
 tra causa acerbissimos cruciatus  
 & mortem perpeffo, institutam  
 esse, cuius sapientia est infinita &  
 incomprehensibilis, qui sine dubio  
 in sua Ecclesia nihil frustra aut in-  
 utile sancit & mandat, cui nos de-  
 cet, vt summo & sapientissimo &  
 fidelissimo nostro Magistro, cum  
 competente reuerentia & obediens-  
 tia credere & parère, sine vlla cu-  
 riosa scrutatione & sciscitatione  
 QVARE? & QVOMODO?  
 more

more balbutientium puerulorum,  
 qui reuerenter discunt, quicquid  
 precatiuncularum & literularum  
 pater eis proponit & præcipit, eti-  
 ansi in illa sua infantia nondum  
 intelligunt, ad quid illa exercita-  
 tio & repetitio crebra eorundem,  
 necessaria & utilis sit: vel sicut  
 Discipulus diligens suo Præcepto-  
 ri obtemperat, audiendo Lectio-  
 nes, & exercendo stylum in varijs  
 exercitiorum generibus, & ordi-  
 nem seruat lectionum & aliarum  
 operarum, à Magistro suo præscri-  
 ptum, etiamsi per imperitiam non-  
 dum intelligit, quare primarum  
 artium præcepta, quarum compre-  
 hensionem difficiliorem & insua-  
 uorem esse experitur, priore loco,  
 & tanta cum diligentia, imò cum  
 superstitiosa anxietate discenda sint,

cum fortassis iudicaret ipse vtilius esse, omissis illis spinosis præceptis, vagari per iucundos Campos Poëtarum, Oratorum & Scriptorum historicorum.

In summa hæc obiectio, quæ Necessitatem & Utilitatem huic manducationi Sacramentali à Christo institutæ detrahit, promanans ex curiositate & audacia cæcæ Rationis, quæ non veretur Dei Creatoris sui opera & ordinationes ad suæ lucis normam & examen vocare, & corrigere velle conari, Hæc inquam obiectio arguit animos parum reuerenter & magnificè sentientes de Verbo & sanctionibus Dei, & cogitantes doctrinam cœlestem oportere congruere & ad amussim quadrare ad lumen Rationis, quod fieri non posse,

posse, nec debere, initio ostensum  
 est, quando probauimus, Dei infi-  
 nitam sapientiam nequaquam à  
 nostra lusciosa vel exoculata potius  
 & angustissima Ratione com-  
 prehendi & concludi posse.

Quapropter etiamsi nullam ne-  
 cessitatis rationem & utilitatem  
 presentiae Corporis Christi in Cœ-  
 na, cernere ipsi, & ostendere alijs  
 possemus: tamen propterea non  
 patiemur nobis hoc eripi, de quo  
 ex planissimis & verissimis &  
 efficacibus verbis Christi, & diui  
 Pauli, & aliorum fide dignorum  
 scriptorum testimonijs certi su-  
 mus, Christum in Cœna sua, ritè  
 seruata, non Panem & Vinum so-  
 lum, sed etiam verum Corpus &  
 Sanguinem suum manducandum

& bibendum dare, & accipi vo-  
 luisse, quantumuis id Rationi im-  
 possibile, absurdum, & inconueni-  
 ens esse videatur.

Nihilò secius tamen paulò in-  
 ferius etiam aliquot non viles, &  
 parui momenti, sed solatij plenis-  
 simæ & magnificiendæ Utilita-  
 tes huius veræ præsentia Corporis  
 Christi in Cœna recensentur,  
 quibus nos fraudare conantur ij,  
 qui tantum fide, Spiritualiter, ab-  
 sens Corpus Christi in cælo residen-  
 tis, accipi contendunt (quod eti-  
 am extra Cœnam fieri potest, quo-  
 tiescunq; Euangelij promissiones  
 de Christo & beneficijs eius audi-  
 untur, & firma fiducia accipiuntur)  
 unde necesse est sequi extenu-  
 ationem & longiorem neglectio-  
 nem, & in aliquibus etiam mani-  
 festum

festum contemptum huius Sacra-  
tissimæ Cœnæ, quem tandem comi-  
tatur haud dubiè profanitas in mo-  
ribus, & securitas, trahens secum  
ingentem congeriem malorum  
& periculorum.

CONCLUSIO RE-  
futationis.

HÆtenus pro tenuitate captus  
mei, ut potui, respondi argu-  
mentis fermè præcipuis, quibus  
utuntur ij, qui negant veram in  
Cœna corporis Domini præsen-  
tiam, causas simul exponens, cur  
non possimus aut velimus ipsorum  
sententiæ adstipulari, etiamsi su-  
prà positam regulam suo loco &  
conueniente modo usurpatam, ve-  
ram & utilem esse fatemur. I.

V 5 Etiam si

2. *Etiamsi, iuxta lumen Rationis nostræ, nullam possibilitatem huius præsentiaẽ videre ipsi, aut ostendere possumus.*

3. *Etiamsi omnia Absurda, quæ occurrunt, illustribus rationibus amouere, & concinnare cum nostrâ sententia non valemus.*

4. *Etiamsi putantur hæc sententia de præsentia non congruere cum Articulo de Ascensione Christi in cælos, & sessione ad dextram æterni Patris.*

5. *Et in alia quædam plana dicta ipsius Christi & Apostolorum impingere.*

6. *Etiamsi quædam aliquorum Patrum dicta alteri parti suffragari videntur.*

7. *Et nobis crimini datur, quod professione & defensione huius sententiaẽ*

tentia, stabiliamus tetros Papi-  
starum abusus.

Et dicimur pugnare de re, cuius nec necessitas aliqua, nec utilitas aut fructus evidens ostendi possit, ad consequenda beneficia Christi, cum illa facilius & tutius, ut putatur, per unicam manducationem spirituales acquiri possint.

8.

Et quanquam facile diuinare possum, eos, qui lucem Rationis sue pluris faciunt, & libentius sequuntur ducem in rebus Fidei, quam Verbum Dei (quod quam rectè & tutò fiat, initio exposuimus) non contentos fore his responsionibus, & dicturos eas ideo nondum sufficientes esse, quia Rationi non sint aut videantur consentaneæ, sicut & nos ipsi fateri cogi-



cogimur, eas Rationis iudicium  
 tantum sequentibus non satisfacere:  
 tamen spero pios & Dei timen-  
 tes Viros, qui Verbum ipsius ma-  
 gnificiunt, & cum sancto Pro-  
 pheta Dauide confitentur: In Lu-  
 mine tuo (id est, verbo prolato  
 per Filium tuum) Videbimus  
 lumen, & pro se orant id, quod  
 Christus precabatur pro Discipu-  
 lis & tota sua Ecclesia: Sancti-  
 fica nos in ueritate tua, Sermo  
 tuus est Veritas, mediocriter ac-  
 quieturos esse hisce qualibuscunq;  
 responsionibus, & adiuncturos il-  
 la, quae fundamenti loco, de autho-  
 ritate Verbi diuini munienda, &  
 me dicta sunt, quibus ceu firmis  
 ancoris nixi & confisi consistere  
 poterunt in ueritate diuinitus pa-  
 refacta, fidei firmitate comprehen-  
 denda,

Psal. 36.

Iohan. 17.

denda, non vel Corporis vel men-  
 tis semper oculis conspicienda,  
 quos apprehensionis & certitudi-  
 nis modos quicumq; solos sequendos  
 esse putant in doctrina Ecclesiæ,  
 ac præsertim in causa de Cœna  
 Domini, & se incertis flatibus  
 mirè blandientis Rationis huma-  
 næ, semel circumferendos commi-  
 serunt, eos necesse est postea perpe-  
 tuò fluctuantes inter mobiles vna-  
 das dubiarum & subinde nouata-  
 rum interpretationum, iam ad  
 hunc Tropum confugere, iam ab  
 alio præsidium petere, nunquam  
 tamen & nusquam aliquem  $\pi\lambda\eta\rho\varsigma$   
 $\sigma\alpha\phi\iota\alpha\varsigma$  & firmæ ac tutæ assensionis  
 portum inuenientes, in quo possint  
 ingruentibus seuis procellis ten-  
 tationum tutò subsistere & acqui-  
 escere. Deus nos ipse ducat in  
 omnem

omnem veritatem suo sancto Spiritu,  
 & in ea constanti confessione  
 perseverantes conseruet.

A M E N.

# CONFESSIO NOSTRARVM Ecclesiarum.

POSTQVAM iam rationes exposui, quare nos semel  
 seiunxerimus à Pontificijs, qui nimis  
 urgentes tō quōdā contra Pauli  
 declarationem, intelligunt verba  
 Christi: HOC EST CORPVS  
 MEVM, de Identica  
 Panis & Vini vniuersam ex Car-  
 na Dominica remouent, contra  
 Christi & Apostoli verba & ve-  
 terum

terum Scriptorum aperta testimo-  
 nia, fingentes fieri Panis annihila-  
 tionem, quam vocant Transsub-  
 stantiationem: Et quare rursus  
 non possimus accedere sententiæ  
 eorum, qui nimis procul à τὸ τοῦ ἔντος  
 verborum Christi recedentes, fi-  
 gurarum seu Troporum subsidio  
 nituntur, & tantum spirituales  
 manducationem in Cœna relin-  
 quunt, quæ fide fiat, apprehenden-  
 te Christi corpus alicubi in cælo  
 versantis, unâ cum ipsius benefi-  
 cijs & Spiritu: Nunc tandem ac-  
 cedo ad id, quod institui primo loco  
 dicere & ostendere, quid sentia-  
 mus & doceamus nos in his Eccle-  
 sijs de substantia (vt loquuntur)  
 Cœnæ Dominicæ, & quomodo nos  
 verba Christi intelligamus, & ex-  
 ponenda iudicemus.

Fatemur igitur nos retinere proprium & simplicem intellectum verborum Domini nostri Iesu Christi, iuxta enarrationem Pauli, & credere in Cæna dari Elementa, Panem & Vinum, suam Substantiam non amittentia, quibus acceptis in usu, simul accipi comedi & hauriri verum & præsens Corpus & Sanguinem Domini, modo insensibili & inenarrabili, & Rationis luce non comprehensibili.

Huius autem fidei & Confessionis nostræ Basim & fundamentum habemus, VERBA CHRISTI, sicut ea ab Evangelistis mirabili consensu exposita, & à Paulo Apostolo repetita & declarata sunt.

Cum enim dicat Dominus  
(hanc

(haud dubiè de pane, super quo  
 dixerat benedictionem seu gratia-  
 rum actionem, & deinde fracto ac  
 porrecto discipulis:) Accipite,  
 Comedite, hoc est Corpus me-  
 um, & de Calice post repetitam  
 benedictionem eisdem tradito:  
 Bibite ex hoc omnes, Hic est  
 Sanguis meus noui Testamen-  
 ti, &c. eo ipso, quòd iubet Apосто-  
 los hoc, quod ipsis porrigit manu  
 sua, intra manum vel digitos acci-  
 pere, vel ore excipere & comede-  
 re, manifestum est, ipsum aliquid  
 Substantiale & palpabile & soli-  
 dum, non nuda & vacua acciden-  
 tia sine solida Substantia tradere,  
 cum omnes Scriptores fateantur,  
 Corpus Christi modo insensibili  
 accipi, non palpari, non gustari,  
 non comminui aut dissolui, os verò  
 X aliquid

aliquid sentit substantiale solidum  
 & Corporeum, quod comminuitur  
 & dissoluitur, & more aliorum  
 ciborum deglutitur. Quare constat  
 substantiam Panis, non tantum  
 accidentia, in Cœna reliquam man-  
 nere, & modo naturali ore exce-  
 ptam confici, & deglutiri, quod  
 euertit Papistarum commentiti-  
 am annihilationem seu abolitio-  
 nem Substantiæ Panis, & du-  
 rationem accidentium sine Subs-  
 iectō.

Quia verò Dominus hoc  
 ipsum, quod Discipulis comedend-  
 um exhibet (quod constat subs-  
 tantia Panem esse) etiam suum  
 Corpus appellat, & quidem non  
 fictitium & allegoricum vel signi-  
 ficatum, sed traditum in mortem,  
 & Paulus hæc verba Christi sic  
 inter-

interpretatur, ut dicat, Panem  
 esse communicationem Corporis,  
 non dicat, Panem substantiâ vel  
 essentiâ sua esse Corpus Chri-  
 sti, vel nihil aliud, quàm Corpus  
 Christi (cum illud ipsum, quod  
 manducatur in Cœna, ipse aliquo-  
 ties disertè PANEM nominet)  
 confitemur & credimus, in Cœna  
 sacra præter Panem etiam verum  
 Corpus Christi præsens adesse,  
 unâ cum Pane dari, & comedi,  
 modo tamen minimè carnali &  
 sensibili, sed occulto, mystico &  
 imperuestigabili, quem fides ver-  
 bis Christi innixa apprehendit.  
 Nam etsi oculi, manus, labia, pa-  
 latum, lingua, ibi aliud nihil vi-  
 deant & sentiant, quàm naturalem  
 Panem, substantia sua non muta-  
 tum, *ἢ φύσεως αὐτῆς οὐκ ἄλλοτινόντα :*



tamen mens, non suæ luci indulgens, sed verbum Christi intuent, eiq̄, fide assentiens & credens, dicentis, Hoc est Corpus meum pro uobis datum, firmiter statuit, in tali manducatione naturalis panis, etiam verum Corpus Christi ore percipi & manducari, modo, ut dictum est, insensibili.

Eodem modo & verum Sanguinem bibi, hausto vino ex Calice, ostendi potest ex altera parte Verborum Christi, quibus Cœnam suam instituit. Quod enim de vna parte elementi, hoc est, de Pane dicitur, hoc & de altera parte, Vno videlicet, dictum pius Lector intelligat, ut vitari possit nimis prolixitas, futura tædiosa, si toties idem de vtraq̄ parte repeti oporteret. Hoc

Hoc omninò rationi peregrinum & impossibile videtur, ore aliquid substantiale ac præsens, verè, & tamen occulto, & sensus omnes latente modo percipi, & quia multa absurda contrà obijci possunt, quæ hanc præsentiam incredibilem faciunt, occupata fuit omnibus temporibus Ratio humana, in hominibus, Verbo Dei non tantam, quantam debebant, auctoritatem tribuentibus, & se varias in partes torsit & versa-uit, scrutans aliquam viam, qua possent illa absurda aut evitari, & remoueri, aut explicari, & hæc veri Corporis præsentis manducatio plana & verisimilis & mentis luci perceptibilis reddi posset. Inde extiterunt tam variæ opiniones de interpretatione verborum

X 3 Christi,

Christi, & diuersæ sententiæ, con-  
 nantium ostendere, & pingere  
 quasi, modum & possibilitatem  
 veræ præsentia Corporis Christi  
 in Cæna, vbi alius confugit ad sub-  
 stantiarum transmutationem, ali-  
 us ad localem inclusionem, alius ad  
 permixtionem, alius ad durabilem  
 affixionem, quorum modorum nos  
 nullum statuere possumus aut vo-  
 lumus, libenter & clarè profitem-  
 tes, nos hac in parte, sicut in alijs  
 omnibus doctrinæ cælestis articu-  
 lis, quod ad modum præsentia &  
 exhibitionis attinet, Discipulos  
 Christi esse debere, & velle, imò  
 verè infantes esse, quos nequas  
 quam deceat ea peruestigare &  
 perscrutari conari, quæ ipse sua  
 omnipotenti & veraci voce pro-  
 lata, à nobis non cerni, & Ratio-  
 ne com-

ne comprehendi voluit, sed simplici & reuerenti fide credi, & pro certis haberi, & debita obedientia sine mutilatione vlla aut adiectione, præstari, & quæ ibi promittuntur, & dicuntur dari, firma fiducia & grato pectore accipi & rectè vsurpari.

Hanc nostram infantilem simplicitatem fidei & obedientiæ, si quis ridere volet, & nos pro stultis habere, & alijs exhibendos exponere, quòd proprietati verborum diuinorum in sanctione Sacramenti inhærentes firmiter, credimus id dari & fieri in Cœna, quod Rationi nullo argumento specioso persuaderi potest, cum omnia absurda & speciem impossibilitatis effugere, & planè faciam,

lem, plausibilem & concinnam sententiam habere possimus, si cum ipsis verba Christi figuratè exponere vellemus, de significato & absente Corpore Christi: ei nos quidem id prohibere non possimus, & nostram infirmitatem ac stultitiam agnoscimus, insistentem tamen ei verbo Dei, quod ipsum quoque Paulus, iudicium Rationis & mundi expressurus, stultitiam prædicationis vocat, servientem tamen ad salutem ipsorum, qui illi prædicationi cum simplicitate fidei assentiuntur & credunt. Sed viderint ipsi etiam atque etiam, ne illa sua sapientia tandem miserè frustrentur & decipiantur. Nos habemus Dei beneficio huiusmodi nostri simplicis intellectus & interpretationis verborum Christi, si

sti, fidei item nostræ, obedientia, & Confessionis de vera presentia & manducatione Corporis Christi, graues & firmas causas, quarum certitudine iustus nos & tutius niti, letari & gloriari possumus, quàm ipsi suis incertis tropis, quas nunc ordine deinceps exponam.

**PROBATIONES**  
**ALIQVOT, QUI**  
 bus confirmatur vera presentia & manducatio Corporis Domini in Cœna, quarum prima sumitur ex verbis Christi.

**PRÆcipua** nostra probatio est, quam sumimus ex consideratione vera

X 5

ne verborum Christi, adhibitis circumstantijs Personæ, quæ illa verba protulit :

Temporis, quo ea prolata sunt.

Rei, quæ his verbis sancita est.

Discipulorum, ad quos ea dicta sunt simpliciter, sine vlla <sup>προειρη</sup> ~~προειρη~~ & præmonitione, quod per Parabolas vellet loqui, aut figuratè aliquid dicere & facere, sicut per lotionem pedum palàm significabat, se ipsis ὑπόδειγμα, seu exemplum proponere, non imitandum illo modo lotionis pedum, quæ fiebat aqua naturali in peluim effusa, quod Simiarum more Pontifices & alij prælati nunc pomposè faciunt, deridentes potius Christum, quàm eius veram humilitatem & dilectionem erga suos imitantes.

sed

sed exprimendum mutua dilectio-  
 ne, beneficentia, tolerantia com-  
 muni infirmitatis, & aliqua-  
 rum iniuriarum, vera humili-  
 tate, & similibus virtutibus, ne-  
 cessarijs ad communem consocia-  
 tionem & concordiam versanti-  
 um in eodem ministerio, quas vir-  
 tutes ostendebat Christus se illis  
 hac lotionem pedum figuratè com-  
 mendare voluisse, præter quàm,  
 quòd illa lotio simul etiam eam à  
 peccatis emundationem notabat,  
 quæ in hac vita à Christo nobis  
 præstatur; Primum remissione  
 peccatorum & imputatione iusti-  
 tiæ ipsius: Deinde donatione Spi-  
 ritus sancti inchoantis in nobis  
 obedientiam aliquam: Postremò  
 consummatione, quando per mor-  
 tem abolita hac corrupta & sordi-  
 da car-



da carne, resuscitabit nos Filius  
 Dei vestitos prorsus mundis &  
 sanctis corporibus, conformibus  
 suo glorificato corpori.

Cum igitur hæc controuersia  
 propriè sit disputatio  $\pi\alpha\sigma\tau\iota\ \xi\eta\tau\omega\upsilon\ \nu\epsilon\sigma\tau\iota$   
 $\delta\iota\alpha\upsilon\omega\iota\alpha\varsigma$ , nosque profiteamur, &  
 credamus verborum proprietatem  
 retinendam esse, quæ non firmiter  
 aliundè quàm ex ipsis Christi ver-  
 bis ac gestibus & cæteris Circum-  
 stantijs probari potest: ea ipsa  
 verba diligenter perpendenda  
 proponemus, & sine cauillatione,  
 vel deprauatione, eorum verum  
 sensum inquiremus, & docebimus,  
 mentem eam Christi fuisse, quod  
 illa verba voluerit Propriè acci-  
 pi, id quod ex Circumstantijs rectè  
 consideratis, perspicuum fiet.

Nam

Nam loqui hic Christum de  
 vero & naturali Pane, qui qui-  
 dem in illa Cœna haud dubiè ἀζυμος  
 fuit, iuxta legem & ritum huius  
 populi, testatur locus & tempus,  
 quòd hæc verba prolata sunt in  
 Cœna, vel sub Cœnam, in qua A-  
 gnus Paschalis iuxta Dei insti-  
 tutionem comedendus fuerat, sicut  
 Matthæus & Marcus expressè di-  
 cunt, ἐσθίουτων αὐτοῦ, cum comede-  
 rent, seu in illa Cœna, qua Agnus  
 Paschalis assatus cum azymis &  
 acidis herbis à Christo & Aposto-  
 lis consumptus fuerat, sicut ipse  
 testatur, Lucae 22. inquiens: Des-  
 siderio desideravi hoc Pascha  
 manducare uobiscum prius q̄  
 moriar, accepit Panem, & quia  
 Matthæus articulū addit τὸν ἄρτον,  
 significat, non quemlibet eum Pa-  
 nem

nem vsurpasse, sed eum, qui tunc  
in illo festo vsitatus & concessus  
erat, nempe fermento carens.

Quòd autem per dictionem,  
CORPVS, suum verum &  
vnicum Corpus velit intelligi, non  
vmbra, vel notam, seu tesseram,  
vel efficaciam Corporis sui, vel  
beneficia, quæ traditione sui Cor-  
poris in mortem acquisiuit, sicut  
aliqui id exponunt, clarum est ex  
verbis immediatè sequentibus:  
Quod pro uobis datur, quæ  
verba non de alio, quàm de vero  
ipsius & vnico Corpore intelligi  
possunt, quod paulò post à Iuda est  
proditum insidioso osculo, à iuui-  
stris Pontificum prehensum, con-  
strictum, raptatum, colaphis cæ-  
sum, à Pilati satellitibus lacera-  
tum

tum flagellis, ignominiose Crucem affixum, linteis inuolutum, in sepulchrum reconditum, & post Resurrectionem cum vestigijs clauorum & vulneris in latere monstratum Apostolis, & ab ipsorum contrectatum, tandem ab ipsorum oculis nube in caelum abductum & occultatum fuit: Quia illud verum & vnicum Corpus, & non aliud, nec vmbra nec Symbolum Corporis, pro nobis in cruce ad mortem est traditum.

Similiter in altera parte ostendi potest, vbi de Calice dicitur, Christum loqui de potu in Calice, hoc est, de vero & naturali vino, quo genere potus eos tunc in illa Coena vsos fuisse, inde liquet, quod Christus dicit, Lucae 22. Dico vobis, quod non bibam de gemine

nimine uitis, donec regnum  
Dei ueniat.

Rursus declarat ipse sese, cum  
de Sanguine suo loquitur, quod  
non aliquid tectum aut figuratum  
aut Symbolicum intelligat, sed  
verum suum Sanguinem, quem  
tum in Venis & carne per totum  
Corpus diffusum, in secutura mox  
passione & laceratione Corporis  
sui, aliqua ex parte profusus  
erat, qui flagella, quibus cutis eius  
lacerata est, & pauimentum cui  
institit, & clauos ac lanceam  
quibus transfixus est, & cruce[m]  
ad quam suspensus pependit, &  
terram subiectam, tincturus &  
cruentaturus erat, adeo manifestè,  
vt aspicientium oculi testari pos-  
tuerint, illum verum & natura-  
lem hominis cruorem fuisse.

Hac

Hæc iam quatuor vocabu-  
la ita copulat Christus, vt duas  
op<sup>er</sup>arias faciat, & de fracto Pane  
& ad vescendum præbito Apo-  
stolis, dicat, illum, suum Corpus  
esse, quod tradatur pro ipsis, vide-  
licet in Passionem & mortem.

Sed cur hac potissimum nota,  
Veri sui Corporis substantiam ipsis  
insinuare voluit, vt mentionem fa-  
ciat oblatis Corporis sui, & traditi  
ad mortem?

Haud dubiè ideo, vt eos simul  
commonefaceret de causa, quare  
in Cæna hoc suum verum Corpus  
querere & accipere debeant, vt  
videlicet eo pignore confirma-  
tur, hanc traditionem Corporis in  
mortem ad ipsorum redemptionem  
factam esse, à volente & vltro  
Y eam

eam subeunte, non casu aut fortuito ita euenisse. Alioqui nisi ad hanc commonefactionem de fine & fructu Passionis suæ Discipulos suos deducere voluisset, potuisset eis aliam sui veri Corporis notam & descriptionem proponere, & dicere: Hoc est Corpus meum, quod videtis hic coram vobis & iuxta vos adstare vel accumbere, vel quod vidistis aliquando ambulare super mari, aut transfiguratum in monte, splendere fulgore simili iubari Solis. Ita vult eis vtrumque simul testatum & certum facere. & quòd non solum Panem, sed simul verum ipsius Corpus comedant: & quòd hoc Corpus comedant, quo, ceu instrumento, λόγον pro peccatis ipsorum persolaturus sit, vt hoc pignus re se se

re sese in consternatione, ob conspe-  
ctum suorum peccatorum, erigant  
& consolentur.

Similiter copulat & altera  
duo vocabula, vt dicat de vero &  
naturali vino in Calice, ex quo iu-  
bet eos naturali modo bibere, quòd  
ille potus seu Vinum, sit Sanguis  
ipsius, neq; addit, eum esse sangui-  
nem, quem ex matre sua Virgine  
Maria in vtero hausert, aut in  
venis suis & cæteris Corporis par-  
tibus habeat, quod tamen verè di-  
cere potuisset: sed facit ideo men-  
tionem Sanguinis sui profunden-  
di in Passione & Cruce, vt iterum  
eos deducat ad causam, cur hunc  
sanguinem avidius & fructuosius  
in Cæna quærere & bibere debe-  
ant & possint, videlicet ad con-  
firmationem fidei suæ, quòd hic



Sanguis ad delenda & abluenda  
 ipsorum peccata sit profusus. Ita  
 rursus vtrumque vult eis persua-  
 sum esse: & quòd haurientes ex  
 Calice naturale vinum, simul bi-  
 bant verum ipsius Sanguinem: &  
 vt sint certi de remissione pecca-  
 torum suorum, cogitent se illum  
 ipsius Sanguinem bibere, qui effu-  
 sus in Passione & cruce, precium  
 fuerit, quo sint ipsorum peccata  
 persoluta, sicut Petrus loquitur,  
 1. Petri 1. haud dubie respice-  
 ens ad hæc verba Magistri sui:  
 Scientes, quòd non corruptibi-  
 libus auro & argento redempti  
 estis de uana uestra conuersa-  
 tione paternæ traditionis, sed  
 precioso SANGVINE  
 quasi Agni immaculati Christi  
 & incontaminati.

Neque verò reliqua etiam duo  
 vocabula, **COMEDITE** &  
**BIBITE** in verbis institutio-  
 nis aliter, nisi propriè, & iuxta  
 communem consuetudinem accipi  
 posse, similiter circumstantiæ con-  
 uincunt, Cum Christus hæc man-  
 data Discipulis det ad mensam,  
 in celebratione Cœnæ, vbi conueni-  
 tur non aliam ob causam, nisi co-  
 medendi & bibendi gratia, non  
 speculandi & imaginandi causa,  
 ne quis existimet de Spirituali  
 manducatione Christum hæc vo-  
 cabula intelligi voluisse, cum suis  
 Discipulis verum & naturalem  
 Panem & Vinum porrigat, quæ  
 elementa nominat suum Corpus  
 & Sanguinem, cum hac iussione:  
**COMEDITE ET BI-**  
**BITE**, non potest hoc manda-

cum ratione circumstantiarum alie-  
 ter intelligi, nisi de Usitata man-  
 ducatione & haustione, quæ fit  
 recipiendo cibum & potum intra  
 os. Nam quod ad Spiritualem  
 manducationem & bibitionem (ut  
 sic loquar) attinet, qua totum  
 Christum cum omnibus suis The-  
 sauris ac beneficijs nobis acquiri-  
 mus, de ea alia verba Christi præ-  
 cipiunt, in quibus fidem requirit,  
 ipsum cum suis beneficijs ample-  
 ctentem, ut cum dicit: Hoc fa-  
 cite ad mei cōmemorationem,  
 sicut suprà dictum est.

Ita si habita ratione Circum-  
 stantiarum & totius contextus  
 verborum Christi, non velimus  
 vim facere quodammodo verbis  
 Christi, necesse est nos hæc voca-  
 bula,

bula, Panis, Corpus, Vinum,  
 Sanguis, Comedere, Bibere,  
 retinere, & intelligere in propria  
 & vsitata significatione, neq; pos-  
 sumus in ijs vllum Tropum admit-  
 tere, nisi quòd Calix loco potus vel  
 vini in Calice vsurpatur, quæ Sya-  
 necdoche non modò in Scriptura vs-  
 sitatissima est, & nihil prorsus  
 obscuritatis aut ambiguitatis af-  
 fert, Verum etiam in alijs linguis  
 omnibus, & in communi loquendi  
 consuetudine, adeò plana, & mini-  
 mè dubia, & puerulis etiam mani-  
 festa est, vt pro figurata locutione  
 fermè non aestimetur, & pro ca-  
 ptioso nugatore & cauillatore ha-  
 beatur is, qui cum ab eo petatur, vt  
 Cantharum porrigat, dicat se eum  
 præbiturum iuxta postulationem,  
 prius exhausto aut effuso potu, cu-

*ius in petitione mentio facta nulla sit, cum solus Cantharus sit postu-  
latus.*

*Fuisse autem hanc loquendi  
formam etiam Christo usitatam,  
& notissimam Apostolis, quod sit  
Et a mentione Calicis, intelligi vo-  
luerit potum, in Calice contentum,  
ostendunt eius dicta Matth. 20.  
Vbi interrogat filios Zebedaei,  
summa loca in regno ipsius, inter-  
cessione matris Salomes, petentes:  
Potestisne bibere Calicem,  
quem ego bibiturus sum? (hoc  
est, illum acerbum potum meae Cru-  
cis, & Passionis, & ignominiose  
mortis, quavis Myrrha & felle  
amariorem gustare?) & rursus  
ibidem: Meum Calicem quis-  
dem bibetis, id est, similiter ac-  
cerbum potum plurimarum affli-  
ctio-*

tionum, persecutionis, ingrati-  
 tudinis, defectionis, profanitatis au-  
 ditorum vestrorum, & tandem  
 suppliciorum, gustabitis, qualia  
 me expertum fuisse vidistis & vi-  
 debitis cum magna vestra mœsti-  
 cia & consternatione. Item,  
 Matth: 26. Pater mi, si possi-  
 bile est, transeat à me Calix  
 iste, hoc est, Iste haustus, vel po-  
 tius torrens acerbissimæ Iræ tuæ,  
 & infernalium fluctuum, ex quo  
 me bibiturum esse, David prædi-  
 xit, Psal. 110.

Neque verò vocabulum T E-  
 STAMENTVM, quod figu-  
 ratè usurpari non negamus, sed  
 explicari ab ipsis Evangelistis pla-  
 nissimè, ostendemus, totam ora-  
 tionem Institutionis, & præser-  
 tim illa Verba, quæ loquuntur de

Substantia rerum, quæ in Cœna  
exhibentur, figuratam & ancipie-  
tem aut prorsus obscuram reddit,  
si quis mediocriter animum atten-  
dat.

Nam ubi Lucas & Paulus  
dicunt: Hic Calix, vel (ut iam  
declaratum est) hic potus seu Vi-  
num in Calice, est novum Te-  
stamentum in meo Sanguine,  
idem est, ac si dicat: Hoc Vinum,  
quod ex hoc Calice bibitis, est illud  
ipsum, quo novum hoc fœdus & te-  
stamentum vobiscum factum à me  
obsignabitur, & confirmabitur,  
seu ratum efficietur, quod est San-  
guis meus, in morte mea, pro  
vobis effusus.

Ebr. 9.

Sicut enim Testamentum non  
prius valet, quàm mors testatoris  
subsecuta sit, & instrumenta seu  
Tabulae

Tabule seu literæ nouarum pactionum & confæderationum vel contractuum qualiumcunq̄ue, non prius rata & efficacia habentur ad vtramq̄ue partem contrahentium obligandam, nisi Sigilli impressio vel appensio accedat: Ita Sanguis Domini nostri IESU CHRISTI reuera est illud Testamentum, hoc est, res illa vltimo loco ad pactionem testamenti accedens, ratificans, obsignans & confirmans vltimam ipsius voluntatem & legationem seu donationem omnium bonorum, quæ morte & passione sua acquisita, voluit per Apostolos & ceteros ministros suos in Ecclesia distribui.

Prorsus igitur idem voluerunt Lucas & Paulus dicere, quod  
Mat.



Matthæus & Marcus his verbis  
 extulerunt; ΤΟΥΤΟ, hoc scilicet,  
 quod ex Calice vobis exhibito, bi-  
 bitis, est meus Sanguis novi  
 Testamenti, id est, est Sanguis  
 confirmans, obfirmans & ratificans  
 novum Testamentum. Et sic utriusque  
 alterorum locutiones pulchrè de-  
 clarant & illustrant. Nam ubi  
 Matthæus & Marcus dicunt,  
 ΤΟΥΤΟ, hoc, est meus Sanguis,  
 Lucas & Paulus illud vocabulum  
 τούτο declarant, cum hac additione,  
 τούτο τὸ ποτήριον, hic Calix seu hic  
 potus, seu Vinum, ut certò sciri  
 possit, quam rem velit intel-  
 ligi Christus, cui tribuat appella-  
 tionem Sanguinis sui, nempe  
 aliud nihil, nisi Vinum in Calice,  
 ex quo omnes Discipulos bibere  
 iussit.

Similia

Similiter etiam, ubi Lucas & Paulus dicunt: Hic Calix est nouum Testamentum in meo Sanguine, quod aliquanto tectius, utpote figuratè, dictum est, id perspicuum faciunt, Matthæus & Marcus, quomodo intelligi debeat, cum dicunt: τοῦτο ἔστι τὸ αἷμά μου τὸ ἐκ τῆς διαθήκης, hoc est Sanguis meus noui Testamenti, id est, hic Calix vel hoc vinum, quod bibitis, est meus verus sanguis, quo sanguine meam vltimam voluntatem, Testamentum & fœdus, vobiscum in verbo Euangelij factum, concludo, ob signo, & munio, ut posthac in perpetuum sit ratum & efficax ad obligandum me, ut præstem verè vobis illa beneficia, quæ parta meo sanguine vobis promisi me communicaturum,

rum, & ad vos confirmandos & excitandos, vt firmiore fiducia & certiore spe ea bona in omnibus vestris tentationibus & afflictionibus à me petere & expectare audeatis, videlicet, remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, iusticiam & hereditatē vitæ æternæ donandæ gratis omnibus, qui certa fide statuunt, hunc meum Sanguinem effusum esse ad delenda & absorbenda ipsorum peccata, & hanc suam fidem vero signaculo huius noui Testamenti, hoc est, perceptione mei Sanguinis roborant & confirmant.

Ita attento Lectori perspicuum factum est, credo, vtramque Euangelistarum locutionem nequaquam inter se pugnare & aduersari,

versari, sed inter se declarare, & unam alteri lucem afferre, adeo concinnè, ut Deo gratia debeatur, pro hoc tanto Evangelistarum & Pauli consensu, & mutua declaratione aliquanto tectiorum locutionum.

Quare manent hæc verba in ambobus dictis in suo nativo & proprio intellectu & significatione: HOC (videlicet Panis quem porrectum accepistis & comeditis) est meum Corpus, & HOC (videlicet Vinum, quod in Calice vobis porrectum, bibitis) est meus Sanguis novi Testamenti, ex quo concludimus & credimus, eum, qui naturalem Panem in Cœna, administrata iuxta institutionem, ore exceptum sensibiliter comederit, simul etiam come

comedisse Corpus Domini pro se in  
 mortem traditum, ore exceptum,  
 sed mystico & insensibili & im-  
 perscrutabili modo. Et rursus,  
 eum, qui naturalem potum Vini in  
 Cœna, ritè celebrata, ore exceptum  
 sensibiliter biberit, simul etiam  
 Sanguinem Domini pro se effu-  
 sum, intra os haustum bibisse, sed  
 vt in mysterio, modo, omnes sensus  
 fugiente & imperuestigabili.

PERSO-  
 NA  
 loquens  
 hæc uer-  
 ba.

Quòd autem hæc rationi im-  
 possibilis & ἀκατάληπτα videntur,  
 mouere nos non debet, vt propter  
 rea fidem derogare his verbis ve-  
 limus, quæ satis plana & perspicua  
 proferuntur ab eo Domino,  
 qui ratione suæ personæ, dignissimus  
 est, cuius qualibuscunque ser-  
 monibus fides indubitata habeatur,

tur, cum sit æternus Filius Dei, æterni Patris coæternum Verbum & Imago, æqualis Patri infinitate Sapientiæ, bonitatis, & potentia, qui authoritatem & testimonium sui officij & doctrinæ & veracitatis non ab aliquo Principe aut Imperatore accepit, Sed ab æterno Deo Patre Conditore Cæli & Terræ, palàm clamante de cælo :  
**HUNC AUDITE**, sicut et *Matt. 17.*  
 suprà dictum est.

Qui hæc Verba loquitur eo tempore & ea hora, cum omnia dicta, facta & gestus ipsius ex mæsto & serio affecto corde proficiscuntur, ubi minimè verisimile est, eum figurarum inuolucris ea quæ traderet, voluisse obscurare.

Qui hæc Verba loquitur non  
 Z ad

Ad quos? ad *Vulgus imperitum*, cui solitus fuit per similitudines & allegorias doctrinam suam proponere, sed ad *Discipulos*, quibus etiam antè consueuerat eas ipsas parabolas, populo propositas, seorsum enarrare, præsertim autem sciscitantibus de obscurioribus aut ambiguis dictis, Qui tamen hic neque ipsi petunt aliquam declarationem horum Verborum, sicut fecissent haud dubiè, si ea pro figuratis accepissent: neque à Domino rectius instituerentur, aut aliam declarationem horum Verborum accipiunt, quam tamen ipse non omisisset, si vidisset suos *Discipulos* ea verba figuratè à se prolata, malè in propria significatione accepisse.

Res ipsa etiam, quæ his verbis  
sanctis

sancitur, conuincit nos, ut credamus, hunc Dominum propriè & minimè ambiguè per figuras loqui voluisse in institutione rei nouæ, arduæ, prius inauditæ, quam ipse **NOVVM TESTAMEN- TVM** seu nouum Fœdus nominat, quod ab Apostolis iussu Magistri propagari debebat, & mandari omnibus Ecclesijs ipsorum voce constituendis, ut illud eodem ritu, iisdemque verbis, & simili intellectu eorum, in omnibus publicis congressibus propter grauissimas & necessarias causas, vsq; ad finem mundi & abrogationem ministerij Euangelici, celebrari curarent.

Iam omnibus sanis constat, in omnibus contractibus, confœderationibus, transactionibus, sum-

Res sancta  
 cita his  
 uerbis:  
 NOVVM  
 TESTA  
 MEN-  
 TVM.



mam curam & diligentiam adhiberi, ut verba in literis contractuum & in Formulis fœderum, quàm propriissimè vsurpentur, sine figuris & Tropis, afferentibus orationi plerunq; aut obscuritatem, aut ambiguitatem, matrem errorum & dissidiorum, & inprimis expeti, ut illæ voces perspicue sint, quibus significantur pignora, arræ, hypothecæ, obsides, & reliqua præcipua momenta & nerui, in quibus contractus ipsi consistunt & nituntur, & quorum postulatione vel exhibitione uterq; contrahentium, confirmare se de fidei præstatione promissorum bonorum, vel vnus eorum appellare & conuenire alterum negligentiorum iuxta pacta et conuenta possit.

Similiter & in Testamentis  
 seu

seu Tabulis, in quibus quisque con-  
 signat, quid de facultatibus suis  
 post mortem velit fieri, consue-  
 tum & ad plurimas lites & frau-  
 des cauendas inter hæredes, neces-  
 sarium est, quàm propriissimis &  
 significantissimis & minimè figu-  
 ratis aut flexiloquis Verbis illam  
 ultimam voluntatem Testatoris  
 exprimi, vt certò & sine ambigui-  
 tate sciri possit, quid de quaque re  
 fieri, quid cuiq; Hæredum uel Le-  
 gatariorũ relinqui aut tradi debe-  
 at, & vnusquisq; eorum sibi certò  
 relicta aut legata bona petere, &  
 ea in suum & suorum vsum con-  
 uertere, ijsque secura et quieta pos-  
 sessione frui & letari queat.

Vnde & hoc vsitatum est, vt  
 quandocunq; disputationes de am-  
 biguo

biguo aliquo vocabulo Testamenti  
 incidunt, quæ lites tandem pari-  
 unt, non facilè, imò rarissimè dis-  
 scedatur à litera, & à recepta pro-  
 prietate verborum in Testamento,  
 nisi aliæ perspicuæ & firmissimæ  
 & indubitæ probationes affer-  
 rantur, quibus planissimè ostenda-  
 tur, hanc non fuisse mentem vel  
 voluntatem Testatoris, quam vo-  
 cabula in propria significatione  
 accepta, efficiunt, & tunc tamen  
 etiam quàm cautissimè queritur  
 aliqua æquior sententia, quæ quàm  
 proximè ad voluntatem Testato-  
 ris iuxta literam verborum acce-  
 dere videatur.

Sed hic noster largissimus &  
 beneficentissimus Testator, cum  
 vellet nobis tantorum bonorum  
 communicationem & possessionem  
 legat

legare, in quorum acquisitione &  
 usu nobis aeterna salus consistit,  
 talibus verbis usus est, quæ omnes  
 circumstantiæ monent ac conuin-  
 cunt, propriè accipiendæ esse, &  
 Apostolos κατὰ τὸ ἔντοπ̄ illa accepisse,  
 se, certum erit ex sequentibus, &  
 cum Testator ipse sciret, eos illa  
 verba, ut sonant, accepisse, & post  
 Resurrectionem 40. adhuc dies  
 cum illis in terra commoraretur, &  
 Scripturas eis aperiret, Lucae 24.  
 & loqueretur cum eis de regno  
 Dei, Acto. 1. & iuberet ipsos om-  
 nia, quæ à Magistro suo acceper-  
 rant, suis auditoribus fideliter tra-  
 dere, & seruanda mandare, sicut  
 inquit Matth. vlt. Docete eos  
 seruare omnia, **QVÆCVN-**  
**QVE** mandavi uobis; Nun-  
 quam scribitur aut legitur hæc sua  
**Z 4** verba

verba semel in Sacramenti tantæ  
 Institutione prolata, unquam po-  
 stea retractauisse, aut aliter, quàm  
 Apostoli acceperant, exposuisse,  
 aut intelligi voluisse, non permis-  
 surus suos Discipulos tam pericu-  
 losè omnes perpetuò errare, & uni-  
 uersas Ecclesias suas in eundem  
 errorem secum inducere, si ipse ea  
 sua verba figuratè exponi voluis-  
 set, sicut suprà etiam dictum esse  
 meminimus.

Hoc igitur est primum fun-  
 damentum, cui innititur Fides &  
 Confessio nostra, de vera præsen-  
 tia Corporis Domini nostri IESU  
 CHRISTI, quod non ex  
 luce Rationis exculpsimus, sed ex  
 ipsis verbis Authoris & benigni  
 Testatoris extruximus, quæ ita  
 accuratè & significanter, & tanto  
 cum

eum consensu ab Euangelistis posita sunt, vt nemo sine magna audacia dicere aut affirmare possit, Hæc verba : Panis, Vinum, Corpus, Sanguis, Edere, Bibere, Tali in loco, tali tempore dicta, præsertim à tali, & ad tales, & de re tam seria ac tanta, aliter quàm in suo genuino & proprio intellectu retinenda & accipienda esse.

Et quanquam assequi hoc non possumus, quomodo fieri possit, vt Corpus Christi pro nobis traditum, verè manducetur, sed insensibiliter, sumpto intra os & manducato Pane, tamen clausis quasi oculis Rationis nostræ, & obturatis auribus ad omnem obiectionem impossibilitatis & absurdorum, tribuimus hunc honorem vnico Magistro

gistro nostro, quòd ipse, vt sapien-  
tissimus Doctòr, & λόγος aeterni  
Patris, sciat, quid, & quomodo  
quodq̄ dicere, ordinare & consi-  
tuere debeat: & præterea hanc  
laudem veritatis, quòd certissime  
det, exhibeat & præstet ea, quæ  
se dare & præstaturum promittit  
& affirmat, & eam potentia glori-  
riam, qua possit dare & facere om-  
nia ea, quæ suo Verbo expressit  
& recepit, quantumuis vniuersæ  
nature & creature impossibilia,  
& Rationi nostræ incomprehensi-  
bilia esse videantur.

His rationibus acquiescimus,  
& reijcimus à nobis omnes alias  
curiosas quæstiones, & scrupulo-  
sas Scrutationes, quæ animos im-  
becillum tantum inuoluunt in du-  
bitationes, ex quibus fit tandem,  
vt multa

ut multi postea abhorreant, & di-  
 utius equo, vel prorsus etiam ab  
 hac Salutari Cœna abstineant,  
 Vnde perniciosam prophanitatem  
 & securitatem, causam multorum  
 tetrorum malorum, existere ne-  
 cesse est.

## II. Confirmatio

SUMPTA EX CON-  
 sensu Evangelistarum &  
 Pauli.

SECUNDVM fundamen-  
 tum, cui nostra Confessio inniti-  
 tur, est iucundus & constans con-  
 sensus Evangelistarum & Pauli  
 Apostoli in recitatione verborum,  
 quibus hæc Cœna est instituta, ex  
 quibus animadverti potest, eos illa  
 verba



verba Christi propriè accepisse, id  
 quod ex Paulo liquidò apparet, qui  
 dicit, se non ab vlllo homine, sed à  
**DOMINO** accepisse, quod suis  
 Corinthijs de hac Sacrosancta  
 Cæna obseruandum tradiderit, &  
 repetit Euangelistarum verba  
 post aliquot annorum interuallum,  
 conformi consensu, & addit illis  
 verbis talem declarationem, ut ex  
 ea perspicuè intelligi possit, eum  
 agnoscere & credi velle veram  
 Corporis Christi in Cæna præsen-  
 tiam. Et rursus ne verba Christi  
 Hoc est Corpus meum, ita du-  
 riter, quo ad literam, intelligere-  
 tur, quasi Christus ea per identi-  
 cam prædicationem exponi volue-  
 rit, hoc est, nihil aliud ibi in Cæna  
 præst verborum pronunciationem  
 adesse, dari aut accipi, quàm ve-  
 ram

rum Corpus & Sanguinem suum,  
 ad quod necessario requireretur  
 substantiæ Panis & Vini annihilatio,  
 aut conuersio in substantiam  
 Carnis & Sanguinis Christi, sicut  
 Monachi tradiderunt, præmittit  
 in cap. 10. insignem declarationem  
 verborum Christi, quam merito  
 magnificimus, & tuto sequimur,  
 cum inquit: Calix benedictionis,  
 cui benedicimus, nonne com-  
 municatio Sanguinis Christi  
 est: Et Panis quem frangimus,  
 nonne communicatio Corporis  
 Domini est: quibus dictis  
 hoc docere voluit, fractum, hoc  
 est, distributum Panem, esse &  
 manere sua Substantia panem, &  
 non mutatum in Substantia, man-  
 ducari, naturali modo, sicut alios  
 cibos: sed tamen nequaquam esse  
 vulgare

vulgarem Panem, aut vt vulgarem irreuerenter & contemptè surpandum, Sed esse talem Panem, qui nobis multis verum Christi Corpus commune, & singulis proprium faciat, cuius manducatione fiamus multi verè participes, & singuli quasi proprietarij, & vt sic loquar, fruitores eiusdem Corporis Dominici.

Quia igitur ex Paulo discimus, Panis substantiam in Cena non aboleri, & tamen illum Panem esse id, quo distributo & sumpto, verè participamus & fruimur Corpore Christi pro nobis tradito: Ex hoc loco Pauli, verba Christi, **HOC EST CORPUS MEVM**, sic interpretamur, vt neque Monachorum  
Trans

Transelementationem cōcedamus,  
 fingentem Panis fieri annihilati-  
 onem: Neque rursus permittam-  
 us, nuda nobis Symbola rei ab-  
 sentis in Cœna proponi: Sed crea-  
 damus fieri unionem Sacramen-  
 talem Corporis Dominici præsen-  
 tis cum Pane, sine tamen ulla sub-  
 stantiæ Panis conuersione aut ab-  
 olitione, aut locali & physica &  
 durabili inclusione, aut affixione  
 Corporis ad Panem extra usum  
 institutum, Et tamen talem esse u-  
 nionem earum rerum, iuxta verbo-  
 rum vim, in vero usu Cœnae, ut,  
 qui hunc Panem ore exceptū man-  
 ducat, dicere possit, & credere  
 debeat, se etiam verum Corpus  
 Christi præsens accepisse & man-  
 ducasse. Similiter cogitetur &  
 de Vino, cui benedicatur, illud esse  
 com-

comunicationem Sanguinis Christi, hoc est, in vero usu fieri cum Vino talem vnionem Sanguinis Christi, vt qui Vinum, quod substantiam suam non amittit, ore hausit, verè dicatur & credatur, verum & presentem Sanguinem Christi ore suo exceptum bibisse.

Quòd autem Paulus statuat huius cœlestis cibi & potus veram presentiam in Cœna, & non velit Panem esse tantum figuram absentis Corporis: Aliquot eius dicta testantur & confirmant. Nam primum omnium requirit singularem quandam disciplinam & reuerentiam seruandam in celebratione huius Cœnæ, propter distributionem videlicet rerum tam preciosarum, adeò quidem, vt affirmet

Corin.

Corinthios ad iudicium conuenire,  
 hoc est, sibi graues pœnas accersere,  
 eò quòd hanc Cœnam, in qua  
 non quotidianus cibus & potus,  
 ut in cæteris Symposijs, apponitur,  
 sed Corpus & Sanguis Christi  
 cum Pane & Vino communicatur,  
 contemptè & indignè habeant  
 & usurpent, & quidem eas pœnas  
 nunc præsentes sentiri cum multorum  
 luctu & querulationibus testatur,  
 cum pestilens lues ingruerit,  
 quæ iam aliquos ex fidelibus  
 absumpserit, aliquos adhuc in lectis  
 egros et moribundos detineat,  
 quæ sit pœna irreuerenter & indignè  
 tractatæ huius Sacrosanctæ Cœnæ,  
 in qua verũ Corpus & Sanguis Christi  
 coràm præsenti, verè distribuatur,  
 dato & sumpto Pane & Vino,  
 ad quam tamen ipsi

accurrerint non aliter, quàm si ibi  
 merus Panis, vt in alyis conuiujs  
 apponeretur.

Id verò multò clarius ac ma-  
 nifestius testatur seuerissima illa  
 premonitione, cum inquit: Qui  
 cunq; manducauerit Panem  
 hunc, & biberit Calicem Do-  
 mini indignè, reus erit Corpor-  
 ris & Sanguinis Domini, Hoc  
 est, Non solum propter abusum  
 aut prophanationem Panis & Vi-  
 ni reus fit iudicio, et pœnis dignus,  
 Sed quia Panis hic communicatio  
 est corporis Christi, quo dato &  
 accepto Corpus Christi exhibetur  
 & accipitur, simul ignominia af-  
 ficit ac prophanat Corpus Christi  
 præsens, sicuti statim subiungit:  
 Qui manducat & bibit indi-  
 gnè, iudicium sibi manducat &  
 bibit

bibit, non dijudicans COR-  
 PVS DOMINI. Non di-  
 cit: Non dijudicans signum, sym-  
 bolum, aut figuram Corporis, sed  
 CORPVS inquit, quod Pane  
 isto dato & accepto, verè exhibe-  
 tur et accipitur. Nequaquam enim  
 seuerum illud iudicium diuinum  
 sibi comedit, qui nudum aut sim-  
 plicem Panem indignè comedit eo-  
 que abutitur (Quaquam & talis  
 abusus, vt cæterorum omnium  
 Dei donorum, Deum offendit,  
 & pænis dignus est.) Sed qui in-  
 dignè panem hunc comedit, quem  
 scit <sup>non esse</sup> esse Corporis Christi,  
 atq; adeo ipsum Corpus Domini  
 cum Pane datum & acceptum ibi  
 agnoscere, & à prophano ac vul-  
 gari pane discernere ac dijudica-  
 re, id est, in infinitum, præstantia-



rem ac nobiliorem escam existimare  
 re debebat: is haud dubie iudicium  
 sibi manducat & bibit.

Ea etiam causa est, quòd diligenti-  
 gentia tanta, imò & severitate,  
 singulis mandat, ut manducaturi  
 hunc Panem, aut de Calice hoc bi-  
 bituri, Semetipsos probent, hoc  
 est, explorent atq; examinent sum-  
 ma cum diligentia: Qualem cibum  
 ac potum sibi in hac Cœna dari ex-  
 istiment, quid se accepturos spe-  
 rent, quam ob causam accedant,  
 et qua ratione vsurpare exhibitam  
 atque acceptam escam velint, An  
 verbis Christi Salvatoris ac Do-  
 mini sui credant, & hoc ibi que-  
 rant & expectent, quod principaliter  
 queri & expectari in Cœna de-  
 bet.

Ostendit enim Apostolus, escam ipsam & manducationem eius salubrem ac salutarem esse, si dignè ea vsurpetur, & Corpus Domini dijudicetur, & cum pœnitentia, hoc est, contritione & fide ardente et inuitente verbis promissionis in institutione comprehensis: Quod pro VOBIS datur &c. Item cum recordatione et annunciatione mortis Domini, & fructibus, pœnitentia tali dignis, accipiatur ac manducetur.

Sed qui indignè de hoc Pane comedat, hoc est, qui nihil aliud nisi prophanum, simplicem aut nudum Panem se accipere arbitretur, nec cogitet, Panem hunc <sup>notum</sup> esse Corporis Christi, atq; cibum hunc non magnifaciat, aut dignè perpendat, seu, vt ipse loquitur,

tar, Corpus Domini non dijudicet: eum adfirmat manducatione huius Panis, qui verè est communicatio Corporis Christi, iudicium sibi manducare, hoc est, pœnas corporales & æternas accersere & atrahere posse, eo ipso, quòd hoc Domini sui Corpus cum fracto & porrecto Pane exhibitum et acceptum non dijudicet, Non ingentis thesauri loco habeat, sed illa prophœnitate ac securitate, ignominia quodammodo afficiat, & contemptim recipiat, ac si præter Panem nudum & vulgarem nihil prorsus adesset.

Ex his verbis satis intelligi potest, Paulum in simplicissimo verborum Christi intellectu reverenter acquievissse, Eaque de substantiali præsentia corporis Christi in

sti in Cæna intellexisse, cui testi-  
 monio Pauli firmiter inniti debe-  
 mus & possumus, cum seriò affir-  
 met, à Domino se accepisse quod  
 Corinthijs tradiderit. Qua ipsa  
 protestatione nobis persuasum esse  
 vult, ipsius declarationem cum  
 verbis Christi, instituentis Cæ-  
 nam, congruere.

### III. Confirmatio

A CONSENSU VE-  
 tustatis in Ecclesia.

Tertia nostra ratio, est consen-  
 sus ac testimonium antiquioris  
 Ecclesie Catholice, quæ inde vsq;  
 ab Apostolis & horum discipulis &  
 auditoribus, voce Evangelij vbiq;  
 terrarum, continua quasi serie col-  
 lecta

lecta & propagata est. Ex quo dilucidè animaduerti potest, simplicem verborum Christi intellectum de exhibitione & acceptione presentis Corporis Christi in sacra Cœna, ab Apostolis & horum Discipulis subinde in Ecclesia traditum, & his qui ad Ecclesiæ societatem recens accesserant, instillatum & inculcatum fuisse. Cuius rei Testes sunt exceptione omni maiores præcipui & vetustissimi in Ecclesia Scriptores & Doctores. Estque vnà cum cæteris doctrinæ Christianæ articulis, hic quoque intellectus de sacra Cœna, aliquot seculis in Ecclesia retentus ac conseruatus sine corruptelis.

Et quanquam aliqui inter Doctores veteres dissimiliter de hoc Articulo locuti sunt, vt suprâ quorū

que monuimus, Et aliqui in locis  
 quibusdam ac formis loquendi, si-  
 bi ipsi contrarij esse videntur: Ta-  
 men si & testimonia eorum omnia  
 inter se conferantur, & vniuscu-  
 iusque obscuriora dicta ex ijs locis  
 iudicentur, in quibus ex professo  
 de Coena Domini loquuntur: Cer-  
 tissimum est, nunquam euinci aut  
 ostendi posse, omnes eos, aut ex his  
 plurimos, vel certè ex omnibus aut  
 plurimis præcipuos, hoc sensisse,  
 probasse, aut professos esse, quod  
 figmento Transubstantiationis,  
 Papistæ & Monachi ausi sunt ho-  
 minibus obtrudere, dicentes, Pa-  
 nem in Coena nullum superesse:  
 Aut quod recens aliqui finxerunt,  
 ac propugnare ceperunt, Panem  
 tantum signum, symbolum aut fi-  
 guram esse Corporis absentis, quod

sola fide Christum ad dexteram  
 Patris intuentem, accipi possit &  
 debeat: Sed perspicue ex scriptis  
 eorum ostendi ac demonstrari pos-  
 test, eos in effectu hanc ipsam de  
 substantiali presentia Corporis et  
 Sanguinis Christi sententiam do-  
 cuisse & propagasse.

Id verò allegatis omnibus o-  
 mnium aut singulorum testimonijs  
 & scriptis comprobare hoc loco,  
 nimis esset futurum & longum &  
 tædiosum. Sed cum ab alijs testi-  
 monia illa, magna diligentia &  
 fide optima collecta passim extent,  
 ad illa ipsa scripta ac congeriem  
 testimoniorum, Lectorem remita-  
 to.

Summatim tamen ex veterum  
 Doctorem scriptis & testimonijs  
 hoc

hoc tanquam probationem sententiae & fidei ipsorum de praesentia Corporis & Sanguinis Christi in Coena commemorare verè possumus, illos omnes, consensu summo & dulcissimo, magna cum gravitate, circumspectione & reuerentia de Coena hac loqui & docere, ac leò quidem, vt interdum Elementa coram Laicis & Catechumenis vix nominare ausint, metuentes, ne si nouitij & rudes audiant, Panem & Vinum nominari, praeter illas res visibiles, nihil aliud in Coena praesens dari & sumi putet, quod in Epiphazio & Theodoro conspici potest. Interdum vero quasi attoniti exclament, admiratione ineffabilis Mysterij, quod filius Dei Corpus & Sanguinem suum purissimum, cui vitam &

immor-



immortalitatem eternam communicavit, & in quo ad dexteram eterni Patris sedet, impurissimis & miserrimis nobis in terra manducandum ac bibendum impertire, & tam arcta societate sese nobis unire & coniungere dignetur, ut in cordibus nostris se habitaturum promittat, non solum, ut Paulus inquit Ephes. 3. per fidem, aut Corporis sui manducationem spiritali: sed corporali etiam coniunctione, ut ex Cyrillo manifeste ostendi potest, per communicationem presentis Corporis Christi in Cæna, quæ fit, dato & accepto Panne.

Quin adeo illis doctrina de presentia Corporis Christi in Cæna fuit indubitata, & promissæ quoque multitudini nota & familiaris.

vis, ut, cum Sancti illi & Ortho-  
doxi Ecclesiarum Doctores con-  
tra Arrianos aut Eutychianos  
pugnarent, similitudines & ar-  
gumenta à præsentia Panis natu-  
ralis & Corporis Christi in vno il-  
lo Cœnæ Sacramento, mutuati sint,  
quibus probarent & declararent,  
vniionem duarum naturarum sic in  
vna Persona Domini nostri I E-  
S V CHRISTI, copulata-  
rum, ut vtraq; maneat, sine confu-  
sione.

Præterea & hostes nominis  
Christiani, eadem de re testimonia  
um præbent non contemnendum,  
doctrinam hanc Ecclesiarum no-  
strarum, de manducatione veri  
Corporis, & sumptione Sanguinis  
præsentis Christi, quam in Cœna  
dato & accepto Pane & Vino fie-  
ri dic

ri dicimus, notissimam, communissimam ac planè indubitatam fuisse, etiam in vetustissimis Ecclesijs, quæ proximè post resurrectionem & ascensionem Domini nostri IESU CHRISTI, sæculis aliquot cōtinuis collectæ sunt ab Apostolis & horum Discipulis.

Cum enim aliqui Christianorum hostes, qui acerbissimè doctrinam Ecclesiæ oderant, & extirpare funditus conabantur, & extirpentarent, quibus Imperatores Romanos, & alios in prouincijs Magistratus incenderent, & aduersus Christianos incitarent, nō tantum, vt propagationem Euangelij impedirent in suis regnis, sed vt hanc nouam doctrinam prorsus opprimerent ac delerent: Inter cæteras

teras atroces accusationes, hanc  
 quoque criminationem & calumni-  
 am tetram Imperatoribus & alijs  
 potentibus instillabant, quòd Chri-  
 stiani in conuenticulis illis clande-  
 stinis & nocturnis, Scythica im-  
 manitate carnibus humanis vesce-  
 rentur, & sanguinem humanum  
 inter se propinarent, Eoq; ritu fœ-  
 dera inter se tanquam ardentissi-  
 mo vinculo Iuramenti inirent ac  
 confirmarent, & fraternam con-  
 iunctionem atque auxilia mutua in  
 communibus periculis sibi inuicem  
 promitterent, Quæ conspiratio  
 haud dubiè ad seditionem specta-  
 ret, & data occasione, aut rerum  
 gerendarum opportunitate obla-  
 ta, tandem eruptura, & bella hor-  
 ribilia paritura esset.

Hanc falsam ac Venenatam  
 crimina

criminationem et calumniam haud  
 dubiè illæ Viperæ sumpserunt &  
 concinnarunt, ex vulgatis & pu-  
 blicis illis sermonibus, qui inter  
 Christianos notissimi, indubitati,  
 & publica quasi confessione cele-  
 brati tunc fuerunt, Quòd in con-  
 gressibus suis, quos propter Tyrann-  
 norum seuiciam ac crudelitatem  
 persecutionis, non interdum, aut in  
 locis conspiciuis & publicis celebra-  
 re audebant aut poterant, celebra-  
 tes sacram Synaxin, verum Corpus  
 & verum Sanguinem, crucifixi et  
 resuscitati Domini sui ore mandu-  
 carent & biberent, Eaq; pigno-  
 rum illorum sumptione, fidem su-  
 am beneficia Christi amplectens  
 tem, confirmarent, & ad mutuam  
 dilectionem & concordiam fra-  
 ternam, omnes confessionis et fidei  
 huius

huius socios obligarent, exuscitarent & quasi obstringerent. Quos sermones publicos Aulici calumniatores postea deprauabant, quasi mactatis humanis victimis, seditiosa consilia inter se agerent, & coniuratione abominabili sese coniungerent. Cuius calumnie & deprauationis nec causam, nec pretextum aut speciem ullam verisimilem habuissent, Si Christiani unquam hoc sensissent, aut de Cœna sua sparsissent, Quod in ea nihil aliud nisi Panem & Vinum acciperent: quæ res ceu Symbola & Tesseræ Corpus Christi absens, & Sanguinem eiusdem tantum significarent, & de morte ac Sacrificio Christi per figuram ac typum quasi, sumentes commonefacerent.

b Hic

Hic tam dulcis & constans  
 veterum Doctorum & totius Ec-  
 clesiae Orthodoxae consensus, qui  
 & persecutorum ac hostium nominis  
 Christiani testimonia habet non  
 obscura nec ambigua, praeter cete-  
 ra fundamenta & rationes, quas  
 antea ex veris, perspicuis, immotis  
 & consentientibus Christi, Eua-  
 ngelistarum & Pauli verbis re-  
 citavi, confirmare sententiam nos-  
 tram, & pacare fluctuantes ani-  
 mos debet et potest. Ostendit enim  
 perspicue, nihil nos in Ecclesiam  
 novi inuehere, edita hac Confessio-  
 ne de Substantiali praesentia Cor-  
 poris & Sanguinis Christi, quae  
 dicimus ore accipi, sumpto & hau-  
 sto Pane & Vino huius Coenae iux-  
 ta institutionem: Sed eam nos  
 sententiam sonare ac profiteri,  
 quam

quam Christus Dominus ipse do-  
 cuit, & in institutione præcepit,  
 Quam Apostoli sic intellexerunt,  
 & acceptam ab ipso Domino in  
 Ecclesia propagarunt, Quam Eu-  
 angelistæ deinceps diuersis tempo-  
 ribus ac locis consentientes repeti-  
 uerunt, Quam Paulus perspicuita-  
 te tanta, vt dictum est, declarauit,  
 Quam Apostolorum Discipuli &  
 sequentes Sancti et Orthodoxi Pa-  
 tres constanter tradiderunt: Quam  
 deniq; vniuersa Ecclesia Catholica  
 & Orthodoxa vsq; ad tempora Ca-  
 roli Magni confessa est, & credi-  
 dit constantissimè, donec post illa  
 tempora, inualescente superstitione,  
 & subitò Romanorum Ponti-  
 ficum & Clericorum potentia &  
 autoritate in immensum aucta,  
 Transsubstantiationis figmentū,



& alia abominaciones & tetri ab-  
 usus, Ecclesias compleuerunt, &  
 vigerunt, Decretis impijs, imò  
 vi et suppliciorum crudelitate, de-  
 fensi et confirmati, vsq; ad ætatem  
 Viri reuerendi & optimè meriti  
 D. Doctoris Martini Lutheri, qui  
 Idola, & abusus illos horribiles,  
 taxare & explodere cœpit, Ac  
 Deo iuuante & benedicente m-  
 cum impurissimis Monastica do-  
 ctrinæ fecibus ac quisquilijs, ex  
 Ecclesijs & Scholis harum regio-  
 num feliciter expulit, Et Substan-  
 tialem præsentiam ac manducatio-  
 nem Corporis Christi, quæ ore fit  
 in sacra Cœna, retinuit, & contra  
 Carlostadium & huius Discipu-  
 los, defendit ac propugnauit. Quæ  
 ipsa sententia, de vera præsentia  
 Corporis etiam expressa est &

comprobata in Augustana Confes-  
 sione, quæ exhibita est Imperato-  
 ri & Statibus Imperij, & in Apo-  
 logia huic addita, quam Vtram-  
 que Vir incomparabilis & im-  
 mortalis D. Philippus Melan-  
 thon composuit. Eadem senten-  
 tia etiam inde vsque ab Anno  
 1530. in omnibus Ecclesijs &  
 Scholis Confessionem Augusta-  
 nam amplectentibus, Dei bene-  
 ficio constanter conseruata &  
 propagata fuit. Quam sententiam  
 Catholicam & Orthodoxam, nos  
 quoq; profitemur, & Deo cle-  
 menter iuuante, nunquam  
 mutabimus aut ab-  
 ijciemus.

III. A collatione  
 VTRIVSQUE SEN-  
 tentiae, vtra tutior &  
 firmior.

PRÆTER rationes & ar-  
 gumenta iam commemorata,  
 non parum nos hæc quoque causa  
 monet: Quòd collatis vtrinq; sen-  
 tentijs, videmus, & experientia  
 ipsa nos docente cognoscimus, cum  
 semel à simplici sententia verbo-  
 rum Christi ad glossemata illa &  
 interpretationes Rationi gratas et  
 plausibiles disceditur, Etsi hæc ali-  
 quando quidem blandiuntur ocio-  
 sis animis, & ornari ac pingi sese  
 eloquentiæ flosculis & delitijs pas-  
 tiuntur, Architectos etiam suos  
 inani securitatis persuasione ali-  
 quantisper demulcent, vt periculi  
 nihil

nihil subesse existiment: tamen ad extremum, cum verbo Dei collatas & seriò examinatas illas conuincinnas interpretatiunculas, non consistere, sed concidere & euanescere.

Cum enim quæritur: Rectius ne ac iustius, imò & tutius sit, assentiri & credere sapienti, veraci, efficaci & omnipotenti Oratori λόγος eterno æterni Patris, fidelissimo Redemptori ac Salvatore nostro **IESU CHRISTO**, Et quidem in ijs sermonibus ac verbis suis, quæ paulò ante mortem inter dolores acerbissimos, & haud dubiè cum significatione animi ardentis & seriò omnia agentis pronunciauit, instituens ac sanciens Sacramentum salutare, necessarium & consolatione plenissimum,

mum, Quod usque ad reditum su-  
 um nouissimum, seruari ac celebra-  
 ri voluit: De his ergo verbis cum  
 quaeritur, rectius ne & tutius sit  
 credere his, & recipere ea sensu at-  
 que intellectu illo, quo ab ipso pro-  
 nunciata & dicta sunt, quo ab A-  
 postolis recepta & intellecta, ab  
 Euangelistis & Apostolo Paulo  
 perspicue & consentienter syllabis  
 ferme iisdem recitata et descripta,  
 Ab Ecclesia denique antiquissima  
 & purissima conseruata ac decla-  
 rata sunt, Etiam si sensuum exter-  
 norum iudicio, aut rationis nostrae  
 captu ac lumine comprehendendi, &  
 figuris Geometricis inclusa de-  
 monstrari non possunt, quomodo  
 ea talia esse, aut fieri possint, qua-  
 lia dicuntur:

An verò in articulis & nego-  
 cysis

cius fidei, quæ captum & sapientiam  
 humanam excedunt, Et à solo  
 Filio Dei Domino nostro IESU  
 CHRISTO immensa bonita-  
 te patefacta, & cum hoc mandato  
 proposita sunt, vt FIDE acci-  
 piantur, non vt intellectus luce  
 perspiciantur & exhauriantur,  
 rectius, iustius, aut tutius sit, Ra-  
 tionis nostræ lumen in consilium  
 adhibere, vt quæ ipsi non videntur  
 esse consentanea aut verisimilia,  
 seu absurda & impossibilia, vel  
 reijciamus, vel aliter interpretan-  
 do, & glossarum concinnitate mol-  
 lendo tam diu formemus, donec  
 verisimilia κατάληπτα & διστακὰ vi-  
 deantur Rationi humanæ, quæ a-  
 lioqui verbo Dei difficulter se sub-  
 jicit, & in voce diuina Rectricis  
 ac Magistræ potestatem sibi arro-

gat, & diuinas patefactiones ad  
 suum captum & normam suae Lau-  
 cis aptare & inflectere ceu Les-  
 biam regulam conari audet.

Talibus interrogationibus,  
 cum interpretes illi ac glossarum  
 eruditarum architecti serio vr-  
 gentur, euadere ratione nulla pos-  
 sunt, Sed conscientiae propriae tes-  
 timonio conuicti, si modò veritatem  
 dicere ex animo volunt, fateri  
 ac concedere coguntur, Multò esse  
 rectius, iustius & tutius, credere  
 nos & assentiri ei, qui Conditor  
 est & Conseruator lucis & sapi-  
 entiae Rationalis: quàm cœcutien-  
 ti, & infinitis modis languenti  
 Rationi nostrae, Praesertim cum  
 Lumen illud rationale etiam tunc  
 finitum fuerit, cum natura homi-  
 nis integra adhuc erat, & suas hab-  
 buerit

buerit, easq; ad modum certam de-  
 terminatas metas, ultra quas se  
 extendere non potuit: Post lapsum  
 verò primorū Parentum etiam te-  
 nebris & caligine horribili obscu-  
 ratum & deprauatum sit, vt nunc  
 prob dolor, nimis verè Paulus di-  
 cere possit, 1. Corinth. 2. Anima-  
 lis homo non percipit ea quæ  
 sunt Spiritus DEI. Stulticia  
 enim est illi, & non potest intel-  
 ligere.

Christus verò contrà, vt Do-  
 minus infinita sapientia & poten-  
 tia excellens, non vnum tantum  
 modum, sed infinitos habet, quibus  
 facere ea potest, quæ se facturum  
 aut præstaturum promittit, Quæ  
 à nulla finita natura fieri aut præ-  
 stari, imò ne quidem luce naturali  
 & creata intelligi ac comprehendì  
 possunt.



possunt. Quibus in rebus iustissimum est, creaturas racionales Conditori suo, vt soli sapienti, & omnipotenti Domino, ac Conservatori suo fideli, reuerenter assentiri, ac sine hæsitatione credere & obedire.

Quare qui glossis illis & interpretationibus concinnis inducti ac deliniti, à simplicitate verborum Christi discedunt, suæ sententiæ certitudinem ac πληροφροσίνην nihil habere aut ostendere constantem possunt. Quanquam enim semetipsos gloriosa certitudinis ac plerophoriæ persuasione aliquandiu titillent & efferant, Tamen nec durabilis est hæc persuasio, & in dubitationem & incertitudinem tandem desinit, quando verba Christi, aut consensus Evangelistarum,

starum, Apostolorum & sequen-  
 tium Doctorum Ecclesiae anti-  
 quissimae & purissimae, recentibus  
 illis interpretationibus & inter se  
 dissimilibus, opponuntur, aut quan-  
 do ipsimet in tentationibus & di-  
 sputationibus Conscientiae haeren-  
 tes, de inani illa certitudine du-  
 bitare, & hac cogitatione & flu-  
 ctuatione animi angere & urgeri  
 incipiunt, subjiciente ipsis propria  
 Conscientia: Esse verba Chri-  
 sti perspicua & certa, esse certam  
 & manifestam Apostolorum &  
 Ecclesiae uniuersae sententiam,  
 Quod videlicet crediderint & sta-  
 tuerint certissime, aliquid amplius  
 praeter Panem & Vinum in sacra  
 Cena exhiberi, manducari & bi-  
 bi: Ipsos vero Rationis propriae  
 iudicio & instinctu, offensa cogi-  
 tatione

tatione Impossibilitatis, aut absurdorum, temerè inductos ac delimitos, hæc omnia negare, eaquæ tam audaci contradictione Christum Dominum suum mendacij quoddammodo arguere, quasi is loco promissi Corporis ac Sanguinis sui præter Panis buccellam, aut Vini haustulum nihil in Cæna illa sacra exhibeat.

Hac ergo dubitatione & fluctuatione Conscientiæ, orta ex assiduis illis & indefinentibus Disputationum tumultibus, quos affert interpretationum nouitas & varietas, dum viæ omnes quaeruntur ac pertentantur, quibus satisfieri Rationi & sapientiæ humanæ possit, vt semel animus liberetur, tutissimum est, simpliciter in nudis Christi verbis acquiescere, Et

Et huiusmodi cogitationibus ad-  
 versus disputatricem Rationem se-  
 se armare, præmunire & erigere:  
 Quid ego me ipse turbo & macero,  
 inquirendo concinnas interpreta-  
 tiones verborum Christi? quarum  
 nulla tamen ita tranquillam &  
 quietam reddere conscientiam meam  
 potest, quin audiens sibi opponi  
 Verba Christi, Hoc est Corpus  
 meum pro vobis traditum, nuta-  
 re & concuti dubitationum flucti-  
 bus incipiat. Quin illum potius Ma-  
 gistrum agnosco & veneror, cu-  
 ius verba nec obscura sunt, nec am-  
 bigua, quibus hanc suam Cœnam  
 sancit, cum videlicet inter cœnan-  
 dum loquatur de Pane, Vino,  
 Corpore & Sanguine suo, & iubeat  
 hæc manducare & bibere, Hæc  
 non possunt intelligi aut declarari  
 aliter,

aliter, quàm vsitata loquendi ratio permittit, & linguarum omnium vsus postulat, Sicuti & ab Apostolis & tota Ecclesia veteri multis seculis intellecta ac declarata sunt. Mandatur omnibus & singulis, vt comedant Panem hunc, Et quidē cum hac additione, esse id, quod manducetur, Corpus Christi pro nobis traditum. Mandatur eodem modo & de Calice, vt Vinum in Calice bibant, addita hac asseueratione, esse id, quod bibatur, sanguinem noui Testamenti, quem Dominus & Redemptor omnium Christus IESVS, in remissionem peccatorum pro omnibus & singulis effuderit. Hoc autem Corpus manducatum, & Sanguis ex Calice hauritus accipi debet tantū certissimum pignus, quod omnis  
& sin

& singula Christi beneficia, quæ  
 Corporis sui traditione & obla-  
 tione, & Sanguinis sui effusione  
 largissima promeruit & acquisi-  
 vit, reuocare in animum & obsi-  
 gnare singulis sumentibus debeat,  
 sicut ipse Dominus inquit: Hoc  
 facite in mei commemoratio-  
 nem.

Hæc cum planissima sint, vnũ  
 hoc mihi obstat, quòd sensibus ex-  
 ternis percipere, aut iudicio Ra-  
 tionis meæ penetrare & cõprehen-  
 dere non possum, Quomodo fieri  
 possit, vt dato & accepto Pane  
 & Vino, Corpus & Sanguis Do-  
 mini nostri Iesu Christi simul de-  
 tur, ac manducetur.

Verũ cum verba hæc pro-  
 nunciata & dicta sint ab eo, qui  
 c optime

optimè nobis omnibus & singulis  
 cupit, qui tanto nos amore profes-  
 cutus est, ut propter nos & pro-  
 pter salutem nostram ex sinu eter-  
 ni Patris egredi, & in mundum  
 hunc veniens, fragilem, mortalem,  
 & rerum plurimarum indigam  
 carnem nostram, hoc est, corpus &  
 animam assumere, & caro de cara-  
 ne nostra, os de ossibus nostris fieri  
 non dubitarit, Similis nobis in om-  
 nibus, solo peccato excepto, Qui de-  
 niq̄ue hanc à nobis assumptam car-  
 nem secum ad cælos usq̄ euexit, Et  
 est verissimè æternus Dei filius  
 pariter omnipotens, verax, & in  
 seruandis promissionibus suis fide-  
 lis ac constans, cui in alijs quoque  
 articulis doctrinæ, Rationis nos-  
 stræ captum et intelligentiam lon-  
 gissimè exuperantibus, & impossi-  
 bilitatibus

bilitatem præ se ferentibus, non  
 grauatim credo & obtempero:

Agè, omiſſis diſputationibus,  
 etiam in hoc articulo ipſius verbis  
 aſſentiar, & Rationem curioſam  
 in obſequium fidei captiuabo, &  
 oculus hunc dextrum ſcandaliz-  
 rantem me, & à verbis veracibus  
 omnipotentis Conditoris, & fide-  
 liſſimi Redemptoris mei I E S U  
 C H R I S T I me abducere conan-  
 tem, eruam & abijciam, vt luſcus  
 potius ad Cœnam hanc accedam,  
 & altero fidei oculo incolumi in  
 verba efficacia omnipotentis Chri-  
 ſti Domini mei intendam, & cum  
 oſtentione obedientiæ & reueren-  
 tiæ debitæ faciam & credam, quæ  
 me facere ac credere Dominus hic  
 iubet, concepta hac certa fiducia,  
 c 2            nulla



nulla me fraude aut impostura à  
 tam veraci & fideli Domino cir-  
 cumuentum iri, cum audiam citius  
 cælum & terram transitura esse,  
 quàm vllus verborum eius apex  
 intereat.

Hæc si faceremus, sine vlla du-  
 bitatione, singuli absolutionem  
 hanc audituri essemus, attestante  
 eam propria nostra conscientia:  
 FIAT TIBI SICVT CREDIDISTI,  
 VADE IN PACE. Atq; ita cum fi-  
 ducia & leticia magna ad salu-  
 berrimam Coenam hanc accedere,  
 nosq; vsurpatione eius recreare ac  
 confirmare vtiliter possemus, Cæ-  
 teris interea vacillantibus & an-  
 xiè fluctuantibus, qui omissa ver-  
 borum simplicitate, curiosè omnia  
 disquirunt & examinant, & oculis  
 lo sinistro suo leuiter in verba  
 Chri

Christi intendunt, Dextro vero  
 Rationis et sapientiæ propriæ ocu-  
 lo Impossibilitatem, & Absurda  
 inde consequentia, ἀπευθύνονται contuen-  
 tur, quæ cum plura inueniant, resi-  
 liunt, & à sumptione præsentis  
 Corporis abhorrent, Imò etiam ex-  
 ternos aliquos ritus & instru-  
 menta ferre nequeunt, quæ reue-  
 rentiæ & εὐλαβίας causa iam olim  
 in celebratione Cœnæ Dominicæ  
 usurpata, alicubi retinentur, qua-  
 lia sunt, Candelæ in celebratione  
 Cœnæ accensæ, vestis Sacerdotis  
 mundior, ordo & conuenientes  
 gestus in administrando adhibiti,  
 piæ cantilenæ, cum latinæ tum ger-  
 manicæ, ara lapidea, imagines &  
 picturæ aris impositæ, Patina &  
 Calix argenteus, & similia, qui-  
 bus rebus indifferentibus adeò of-

fenduntur ipsorum aliqui, ut  
 malint à Cœna prorsus abstinere,  
 quàm eam illis in locis vsurpare,  
 vbi aliquid priorum ceremoniarum  
 in vsu publico remansit, quæ  
 professionem de vera præsentia  
 Corporis Christi in Cœna aliquo  
 modo testatam faciunt, contra  
 quas ceremonias aliqui ita etiam  
 acriter pugnant, ut eas existiment  
 tanto studio & impetu semel pro  
 turbandas esse ex Ecclesijs omni-  
 bus, quanto rex Ezechias NE-  
 HVSTHAN appellatū Æne-  
 um Serpentem Mosis, confractum  
 aboleuit, cui manifestæ Idolatria  
 audent comparare hanc quarum-  
 dam planè indifferentium cere-  
 moniarum, minimè superstitionis  
 obseruationem, quam ini-  
 quam prægrauationem & damna-  
 tionem

tionem harum Ecclesiarum, illis  
Deus clementer ignoscat.

V. Ratio sumpta  
AB EFFICACIORI  
consolatione.

POSTREMO & consolatio<sup>Ab efficacia</sup>  
tiones plurimæ, pulcherrimæ<sup>ciori con-</sup>  
& efficacissimæ ab his nobis vel<sup>solatione.</sup>  
eripiuntur, vel certè labefactan-  
tur, qui præsentiam Corporis  
Christi in Cœna tollunt ac negant.  
Quare causas habemus gravissimas  
& iustissimas, ut pro defen-  
denda hac præsentia, quanto pos-  
sumus studio, laboremus.

Nam primum sine vlla dubi-  
tatione, consolatio pauidarum &

perterritarū mentium in hac Cœna  
 eis proposita, infirmior & languis-  
 dior est, quando illi, qui magnis &  
 serijs doloribus conscientie excru-  
 ciantur, ita instruuntur, quòd in Cœ-  
 na illa, quam sacram nominari au-  
 diunt, accipiant ore solum Panem  
 & Vinum, quibus rebus tanquam  
 Symbolis Corpus & Sanguis Chri-  
 sti adumbretur & significetur,  
 Quod tamen Corpus longius ab eis  
 absit, quàm cœlum à terra distat.  
 Etsi enim multa postea ipsis pro-  
 lixè de sacrificio & beneficijs filij  
 Dei Domini nostri **I E S U**  
**CHRISTI** commemorantur:  
 Tamen consolatio maior aut vber-  
 rior ea non est, quàm illa, quæ ex  
 verbo Dei simplici, & ex promissio-  
 ne Euangelij quacunq̃ue & vbi-  
 cunq̃ audita desumitur.

Sed in multis pavidis & infirmis mētibus dolor ex agnitione peccatorum, & ex sensu iræ Dei & metu iudicij diuini ortus, tantus est, tam efficax, & ardens, vt solo verbo sedari ac mitigari vix possit, Et quanquam interdum piæ mentes ceu gustum aliquem viuificum ex Verbo percipientes, vt cunq̄ se verbi cogitatione ac consolatione erigere & sustentare incipiunt: Tamen scintillula illa fidei ægrè & magna cum lucta dubitationum accensa, impetuosis & procellosis tentationum imbribus & flatibus, facilè iterum obrui & extinguì potest.

At cum primum mentes verbo Dei & promissione gratiæ erudiuntur ac confirmantur, Et deinde

c 5.      de hua

de huius quoque Sacramenti conso-  
 latio adiungitur, in quo verum  
 Corpus & Sanguis Christi in pi-  
 gnus & obfignationem gratiae &  
 remissionis peccatorum, in prae-  
 sentia dari & accipi affirmatur  
 & creditur: ibi demum conster-  
 natus & sauciatus animus effica-  
 citer erigitur & sanatur, Quando  
 videlicet in hanc sententiam se-  
 cum differentem ministrum Eccle-  
 siae audit eger animus, post com-  
 memorationem aliquot insignium  
 promissionum Euangelij: *Cariss-  
 ime frater, Audiisti dulcissimas  
 promissiones ex verbo Euangelij,  
 offerentes tibi indigno gratis rem-  
 missionem peccatorum, & caetera  
 beneficia parta sanguine & mor-  
 te filij Dei Domini nostri IESU  
 CHRISTI, quibus firmiter  
 crede,*

credere, atq; ita te erigere debes,  
 Et haud dubiè Creatori tuo tam  
 benigno & munifico cultum gra-  
 tissimum præstabis, cum & mise-  
 ricordem eum & veracem esse sta-  
 tuer, iuxta verbum, quo se tibi ta-  
 lem fore promittit, & hanc ipsam  
 misericordiam & opem ab ipso  
 promissam & vltro oblatam, fide  
 adprehendes, tibiq; adplicabis.

Sed quia morsus conscientie  
 tue, accusationibus & maledicto  
 Legis armati & incitati, tanto-  
 pere te, vt conquereris, excruci-  
 ant, diabolo etiam hoste tuo pec-  
 cata tua ita amplificante, & iram  
 Dei immensam & horrenda ex-  
 empla pœnarum ostendente, te-  
 tram etiam speciem æternæ Mor-  
 tis, ac horribilem rictum inferni  
 omnia



omnia in æternum deglutientis &  
 deuorantis, tibi ob oculos pōnente,  
 & indefinenter suggerente, adeo  
 vt fides tua ad retinendum ver-  
 bum non satis firma, ac constans  
 esse possit, Sed vacillare ac mergi  
 incipiat: Ecce afferō tibi alte-  
 rum remedium & fulcrum quasi,  
 quo te recrees & sustentēs, videlicet  
 sacrosanctam Cœnam, in qua  
 Dominus & Redemptor tuus  
**CHRISTVS IESVS**, cum  
 visibili hoc pane, proprium Cor-  
 pus suum ori tuo manducandum,  
 & cum haustu Vini, preciosum et  
 purissimum Sanguinem suum bi-  
 bendum, ipse coram & in presen-  
 tia exhibet ac porrigit, illud ipsum  
 inquam Corpus, quod in cruce cen-  
 victimam Patri obtulit, ad per-  
 soluendum precium pro tuis pecca-  
 tis,

tis, & illum ipsum Sanguinem,  
 quem in sacrificio Crucis eodē pro-  
 fudit, qua sui Corporis oblatione,  
 & Sanguinis effusione, iram eter-  
 ni Patris aduersus peccata totius  
 mundi placauit, in quibus mundi  
 vniuersi peccatis, haud dubiè &  
 tua peccata, quāta cumq; aut quan-  
 tumuis multiplicia, tetra & hor-  
 ribilia ea fuerint, expiauit, & pre-  
 cio absolutissimo & πολλαπλασιως  
 præstantiore compensauit. Hoc  
 tantum et tam præclarum pignus,  
 quod nobilius ac preciosius est ipso  
 cælo & terra, quodque quasi in-  
 strumentum fuit & arma, quibus  
 hostes tuos, peccatum, mortem,  
 diabolium, infernum & reliquos  
 deuicit ac prostrauit, per me mini-  
 strum tibi donat ipse Dominus &  
 Saluator tuus, vt tuum sit pro-  
 prium,

prium, ac in presentia ad possi-  
 dendum & fruendum exhibet. Et,  
 quemadmodum Corpus cum Sanguine  
 unitum & copulatum eterno  
 Verbo & filio eterni Patris,  
 sine omni labe est, & immortalitate  
 & alijs ineffabilibus donis  
 ornatum fulget, & viuit in tota  
 eternitate: Ita te quoque de impu-  
 tata tibi ac donata iusticia, puritate,  
 innocentia & vita ipsius certum  
 reddere & confirmare debet.  
 Idem Dominus efficacia Spiritus  
 sui in te quoque manducante carnem  
 suam & bibente sanguinem  
 suum, puritatem & sanctitatem  
 Deo placentem inchoare vult, ut  
 ex animo odisse peccata, Dei mandata  
 diligere, & obedientia horum letari  
 ac delectari incipias, & post hanc  
 vitam in tota eternitate,

rate, vita, iusticia, sapientia, lu-  
 ce & leticia eius fruaris.

Hæc vera & non dubia sen-  
 tentia de præsentis Corporis Chri-  
 sti in Cœna manducatione, in ma-  
 gnis illis & acerbis conscientia  
 doloribus consolationem præbet  
 solidam, efficacem & viuificam,  
 quæ in cordibus seriò assentienti-  
 um ac credentium verbis Christi  
 sentitur, & paulatim crescens, hoc  
 quoque efficit, vt Cœna illa sacro-  
 sancta, adeò efficaciter recreans,  
 viuificans & lætificans animas,  
 magis magisque his dulcescere inci-  
 piat, vt studiosius & cupidius,  
 eam expetant & vsurpent, ad ex-  
 cludendam & arcendam securita-  
 tem, ad confirmandam, augendam  
 & prouehendam semel accensam  
 fidem.

fidei scintillulam, & ad obedientie  
 nouæ inchoationem, quos quidem  
 fructus sicut quæsiuerunt bona  
 mentes, ita verè etiam inueniunt,  
 & ab usu crebriore Cœnæ huius  
 vberiores reportant.

Iam vicissim perpendat mihi  
 prudens Lector, quàm periculose  
 & languidè in erigendis ac con-  
 firmandis pauidis & mole peccat-  
 torum suorum oppressis & con-  
 sternatis mentibus, hi procedant,  
 qui spiritualem tantum manduca-  
 tionem Corporis Christi in Cœna  
 admittunt, Et id sola fide ad dex-  
 xteram Patris in cœlo per immen-  
 sa locorum interualla quærere &  
 manducare spiritualiter iubent.  
 Nam etsi hæc quoq; consolatio est  
 non parua nec contemnenda, cum  
 in do-

in doloribus & terroribus talibus  
 conscientia, cœlum conscendere ac  
 penetrare iubeor, vt Dominum  
 ac Redemptorem meum Christum  
 Iesum sedentem ad dexteram Pa-  
 tris, & cum eo potentia pari re-  
 gnantem, mente intuear & com-  
 plectar, atq; ita carne ac sangui-  
 ne eius, spiritu & fide ardenti ve-  
 scar: Tamen non est in omnibus  
 Spiritus adeò excitatus, & fidei  
 robur tantum, vt doloribus & an-  
 gustijs oppressæ & conclusæ men-  
 tes se attollant, & supra cœlos  
 vniuersos quasi euolent, & conso-  
 lationem illam in CHRISTO  
 IESU Domino suo sedente &  
 regnante in gloria ac maiestate  
 Patris propositam, quærant &  
 apprehendant. Nam multarum  
 imbecillium & cōsternatarum con-  
 d sciens

scientiarum illa vna & potissima  
 querela est, Quòd robore illo fidei  
 sese destitui, & mole peccatorum  
 tanta grauari atq; excruciaci senti-  
 unt, vix vt oculos ad cœlum præ-  
 metu iræ Dei attollere, aut vllam  
 creaturam DE I aspiciere ausint,  
 sicut Publicanus in templo orans:  
 Taceo vt alacri & ardenti fide  
 animosè penetrare cœlos, & ibi  
 Domini sui alicubi certo in loco  
 commorantis corpus apprehende-  
 re, & illius Spirituali complexu  
 sese recreare & reficere possint.

Sed Dominus noster IESVS  
 CHRISTVS rectissimè in-  
 telligit, qua ratione in consolans  
 dis miserrimis nobis procedere de-  
 beat. Nouit ipse & intuetur pe-  
 nitissimè, corruptæ huius & de-  
 prauæ

prauata natura nostrae infirmitatem, praesertim verò languorem & timiditatem eorum, qui terroribus peccatorum pauesacti ac consternati sunt. Scit etiam quàm tenera & in momenta omnia periclitans res sit scintillula illa fidei in mente pia, ex Verbo per spiritus primitias accensa.

Quare nequaquam initio statim ad illam infinitam Maiestatem suam & lucem inaccessibilem, aut ad dexteram Dei pauidas mentes euocat, Sed ad Verbum nos ablegat, quod in terra Homines nostri similes auribus nostris denunciare ac inculcare iubet. Huius Verbi cogitatione niti vult eos, qui consolationem salutarem quaerunt aut expectant, ab hoc fundamento vult fidei initium

d 2      esse:



esse: Ea si adhuc langueat, ad Cœ-  
 nam porrò nos suam deducit, quam  
 in Terra administrari iubet, addita  
 hac promissione, quòd ibi velit cor-  
 ram adesse mihi, & Corpus sua-  
 um, quod ad dexteram Patris se-  
 dens nusquam deponit, in terra  
 porrecto Pane ad manducandum  
 ori meo exhibere, et purissimum ac  
 viuificum Sanguinem suum, dato  
 Vino visibili, bibendum præbere,  
 quo pignore sumpto & hausto si-  
 ne dubitatione me vult statuere,  
 quòd omnium beneficiorum, quæ  
 morte sua peperit, verè particeps  
 fiam.

Venit ergò ipse ad me, cum mihi  
 ad ipsum corpore accedere sit im-  
 possibile. Nec aliò me dulcissima  
 inuitatione, & mandato suo sene-  
 rissimo vocat, dum inquit: Venite  
 ad me

ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, Ego reficiam uos. **VENITE**, inquit, **AD ME**. Quò ergò (dices) benignissime Domine veniam? An alibi es nunc, quàm ad dexteram Patris tui in cælo, quò me & articulus Fidei, & fortes illi, & in Spiritu ac fide ardentibus Doctores ablegant, & te quærere nusquam alibi sinunt?

Rectè, inquit Dominus, facis ista credens, Me ad dexteram Patris sedere, regnantem cum Patre infinita Maiestatis & potentiae gloria. Sed cum te ad me voco aut inuito, non hoc postulo, ut ilicò cogitatione & fide tua, in immensam illam & inaccessibilem amplitudinem ac lucem cælorum euoles. Id enim lassato tibi, & de-

d 3      lieto

lictorum ingenti mole grauato peccatori, scio tam esse impossibile, quàm seni cuiusdam modijs aliquot frumenti onerato, montem excelsum conscendere. Sed ad eum te locum venire iubeo, quò prius ipse ad te descendi.

Id, inquires, vbi locorum est? In Terra, respondet, in qua vermiculi instar vagaris & reptas, vbi & ego aliquando reptans inter vos homines Vermis, & quasi non Homo concionatus sum, & per ministros meos, quos mundus ipsos quoque pro Vermibus habet & conculcat, adhuc concionari soleo, vbi in Coena mea ritè celebrata, Corpus & Sanguinem meum substantialem distribuo, Ibi, inquam, certò me præsentem inuenies, ibi Verbum meum audiens & fide

fide amplectens, ibi Corpus et Sanguinem meum cum rebus terrenis & visibilibus à me verè exhibitum manducans & bibens, refectivam & requiem fessæ ac delassatæ animæ tuæ, & omnium deniq; peccatorum tuorum, quantocunq; pondere aut mole ea fuerint, remissionem te inuenire firmissima fide statues.

Postquam verò iam languore ac lassitudine ista tua, & peccatorum atque iræ Dei pondere, montis instar te grauante ac deprimente, hoc modo liberatus fueris, & misericordiæ meæ beneficio & Spiritus mei efficacia valere, vigere, & ardere animo te senseris: Tum sanè organum meū electum, Paulum Apostolum tutò audire & sequi poteris, ut à Terra te attolle

tollere, et ad Maiestatis meae thronum accedere propius incipias, ut qui non sis amplius in sepulchro peccatorum & mortis defossus; Sed ex illa peccatorum & mortis voragine per me ereptus, et mecum resuscitatus, & viuificatus, quæras deinceps, quæ sursum sunt, ubi ego ad dexteram Patris sedeo, ut Coloss: 3. Paulus inquit. Item, Philip: 3. πολιτόμα nostrum in Cœlis est, unde & Salvatorem expectamus CHRISTVM IESVM.

Ita in Cœna hac consolationem multò certiolem, durabiliorrem, pleniorrem & efficaciorrem, aduersus omnis generis tentationes & terrores paratam habemus, Cum præsentiam veri Corporis & Sanguinis Christi in Cœna credimus

dimus & retinemus. Quæ consolationis efficacia tota quasi euanescit, vel certè languidior est, cum in ingentibus animorum consternationibus ob conspectum nostrarum sordium, & immensitatis istæ aduersus nostra scelera iræ Dei, vel nos ipsos vel alios, ad arduam illam & difficilem cogitationem, de sola manducatione Spirituali Corporis & Sanguinis Christi deducimus.

Secundo loco hoc quoque considerandum est, quo non leuiter mouemur, quòd negatione præsentis Corporis Christi, hæc quoque dulcissima Consolatio nobis eripitur, quæ proposita est in arctissima illa consociatione, qua se Dominus noster **IESVS CHRIVS** in exhibitione veri ac

presentis Corporis & Sanguinis  
sui nobis multò arētius coniun-  
git.

Nam cogita, quàm iustam læ-  
ticiæ, & fiduciæ singularis causam  
habeamus, imò arrabonem & pi-  
gnus infallibile immensi & in-  
narrabilis amoris diuini erga nos,  
quòd Filius Dei miserrimam & in-  
mortalem carnem nostram assu-  
mere, & cum sua diuina natura,  
vniōne personali & inseparabili  
copulare non est dedignatus. Po-  
tuisset omninò opus Redemptionis  
& saluationis nostræ alijs etiam  
modis perficere, & clementiam di-  
uinam sola intercessione sua impe-  
trare, & omnipotentia sua ab ho-  
stibus nostris omnibus nos libera-  
re, ac bona sua æterna donare absq̃  
illa cum carne nostra copulatione.

Quòd

Quòd verò liberationis & sal-  
 nationis rationem aliam instituere  
 non voluit, quàm hanc solam &  
 vnicam, vt carnem nostram assu-  
 meret, & eam à sordibus peccati  
 vniuersi purgatam & munda-  
 tam, immortalitate, vita, gloria  
 & maiestate inenarrabili ornaret  
 ac compleret, Eamque assumptam  
 semel & ineffabili gloria ornatam  
 & exaltatam, in tota æternitate  
 in semetipso seruaret, gestaret, ac  
 sustentaret, nec vnquam exueret  
 aut deponeret, vt suprà diximus  
 prolixius: Id profectò singularis  
 & inestimabilis bonitatis, amo-  
 ris, & benevolentie erga nos &  
 necessitudinis arctissimæ testimo-  
 nium est, clarissimè ostendens, Fi-  
 lium Dei seriam humani generis  
 curam gerere, & coniunctione illa  
 ac ne-



ac necessitudine nobiscum, uniuersum genus humanum ad se quasi attrahere velle, sibi que conglutinare, vulnera eius sanare, peccatorum sordes detergere & expurgare, à morte & exitio eterno liberare, donata & restituta ei iusticia, vita & gloria eterna, idque tam certò & verè, quàm certum est, massam carnis nostræ ab ipso assumptam, gloria eterna ornata, & supra cælos omnes exaltatam esse.

Sicut igitur, hac coniunctione, qua æternus Filius Dei nos miseros & inquinatos, imò perditos homines sibi copulauit, assumpta nostra carne, iure letamur, nos solamur, & contra omnia aduersa erigimus, efferimus & triumphamus: ita causam iustissimam

stissimam nouæ & eius quoque im-  
 mensæ læticiæ accipimus, quando  
 audimus & credimus, Filium Dei  
 hanc semel de nobis sumptam car-  
 nem, quam suæ diuinitatis effica-  
 cia, cui vnita est, ornauit mūdicie,  
 immortalitate, & ineffabili glo-  
 ria alia, nobis verè & substantia-  
 liter reddere in sacratissima Cæna  
 sua, atque ita nouo arrabone con-  
 firmare nos de illo mirando fœde-  
 re, quo nos sibi semel coniunxit,  
 vt deinceps non modò audeamus  
 de ipso, vt de Fratrem nostro gloria-  
 ri, & vniuersa ipsius bona, iure  
 fraternitatis & arctissimæ con-  
 iunctionis, nobis vendicare, ijsque  
 ceu proprijs letari & suauiter  
 frui, quia Filius Dei iam est Os de  
 ossibus nostris, & Caro de carne  
 nostra:

Verum

Verum etiam in omnibus ad-  
 uersitatibus consolari nos & eri-  
 gere possimus hac noua gloriatio-  
 ne & læticia, quòd nos vicissim  
 cum ipso vna caro facti simus,  
 postquam in Cœna ab eo instituta  
 veram ipsius carnem manducaui-  
 mus, & verum sanguinem hausi-  
 mus, vnde iam viua ipsius mem-  
 bra, & ceu surculi ac palmites esse  
 Et, ipsius immortalis & viuifico  
 Corpori, ceu fœcundæ VIII in-  
 sertis simus, cuius viuifica carne,  
 sanguine & spiritu recreemur, ro-  
 boremur, viuificemur, fœcunde-  
 mur, foueamur & muniamur ad-  
 uersus omnia interiora & exteriora  
 mala, Quos in eo permanentes  
 nec persecutionis acerbitas, nec  
 mortis terribilis species, nec diabo-  
 lorum violentia auellere inde que-  
 at. Ex.

at. Executi folia aliqua tali Surcu-  
 lo possunt vehementia tentatio-  
 num, & duriter concuti & frangi  
 aliquando persecutionum grandia-  
 ne & procellis ramulus aliquis,  
 aut arrodi & fœdari originalis  
 peccati sordibus ceu erucis aut  
 vermibus alijs potest: Sed quia  
 huic viuifico Stipiti Christo talis  
 Surculus firmiter inhæret, profun-  
 dius indies actis radicibus fidei,  
 innitentis indubitato verbo Chri-  
 sti, et roboratæ sæpè repetita man-  
 dicatione veræ Carnis ac Sangui-  
 nis Christi in Cœna, prorsus ex-  
 cindi aut comminui non potest,  
 sed seruatur contra omnes tales in-  
 iurias & pestes, sanatur saucia-  
 tus, obligatur & reponitur fra-  
 ctus, roboratur langufactus, pur-  
 gatur & ornatur deformatus, &  
 vege-

vegetatur ad ferendum fructum,  
 acceptum Deo Patri in CHRIS-  
 TO IESU Domino nostro.

Ad hunc modum veteres Scri-  
 ptiores Ecclesiastici ex hac manduca-  
 tione presentis Corporis, &  
 corporali inhabitatione Christi in  
 nobis ( Sic enim aliqui eorum lo-  
 qui non sunt veriti ) dulces et con-  
 solationis plenas rationes hanse-  
 runt, quibus munierunt & confir-  
 marunt fidem suam & auditorum,  
 contra hostiles insultus & tenta-  
 tiones diaboli, conantis dubias ipsis  
 reddere promissiones Evangelij,  
 cum de alijs beneficijs Christi, tum  
 etiam de resurrectione huius mor-  
 talis & corruptibilis carnis nostre  
 ad eternam vitam & consuetudi-  
 nem cum Deo, hinc ratiocinantes,  
 ideo

ideo fieri non posse, vt hoc nostrum  
 mortale corpus in corruptione  
 & aeterna captiuitate Mortis ma-  
 neat, cum quo viuificum & im-  
 mortalitate ac inestimabili gloria  
 ornatum Corpus Christi per hanc  
 Sacramentalem manducationem  
 verè, & (vt Cyrillus, Hilarius  
 & alij quidam etiam loqui solent)  
 naturaliter & corporaliter vni-  
 tum & consociatum sit. Quae dul-  
 cissima & efficaces consolationes  
 magna ex parte nobis euanescent  
 aut elanguescunt saltem, sublata  
 veri Corporis Christi praesentia  
 ex Cæna.

Ex his, quae iam dicta sunt,  
 pius & attentus Lector etiam hoc  
 intelligere & animaduertere po-  
 tuit, simul non parui momenti cau-  
 sas ostensas esse, cur Manducatio-

nem Corporis Christi Sacramen-  
talem, *NECESSARIAM*  
& *VTILEM* esse statuamus,  
et pro ea ita pugnandum putemus,  
vt sola Spirituali manducatione,  
quæ fidei efficacie tribuitur, con-  
tenti esse non possimus.

*CONCLUSIO PRIMÆ*  
partis: De Substantia Cœ-  
næ Dominicæ.

*HACTENVS* de Substan-  
tia Cœnæ Dominicæ dictum  
est, quid videlicet ibi porrigatur  
& sumatur, Et quanq̃ plura argu-  
menta afferri possent ad confirma-  
tionem sententiæ nostræ, atq̃ ita  
plures causæ ostendi, quibus mo-  
uemur, quò minus Carolo stadij &  
Zuinglij & coniuñctorum do-  
gmati

gnati subscribamus, aut eadem  
 cum ipsis doceamus et profiteamur:  
 Tamen cum existimem hæc recita-  
 ta huc vsq; fundamenta & proba-  
 tiones animis veritatem amanti-  
 bus, & verbum Dei pluris, quàm  
 speciosas Rationis interpretatio-  
 nes facientibus sufficere, omissa  
 nunc quidem longiore commemo-  
 ratione probationum, breuiter hæ-  
 rum Ecclesiarum Confessionem re-  
 petam, de rebus, quæ in Sacratif-  
 sima Cœna petendæ & accipiendæ  
 sunt.

Adfirmamus ergo & confite-  
 mur, vt suprâ dictum est, in Cœ-  
 na Domini, celebrata iuxta insti-  
 tutionem Domini nostri IESU  
 CHRISTI, vero, & secundum  
 substantiam, non mutato Pane  
 & Vino, dato & accepto, man-  
 e 2 ducato



ducatō & hausto, verè, Sed insensibiliter, dari, accipi, manducari, & bibi, verum Corpus Domini nostri IESV CHRISTI, traditum pro nobis in mortem, & verum eius Sanguinem effusum pro nobis in remissionem peccatorum. Et huius asseuerationis nostræ certitudinem sumimus:

Primum ex perspicuis & clarissimis verbis, quibus in institutione Cœnæ suæ, Dominus noster IESVS CHRISTVS vsus est.

Secundò ex consentiente recitatione & declaratione eorundem Christi verborum, qualis extat in tribus Euangelistis, præcipuè verò in Paulo Apostolo.

Tertiò quòd certum est hanc ipsam

ipsam sententiam primæ & antiquissimæ Ecclesiæ testimonijs ac suffragijs, ijsq; multiplicibus, comprobari.

Quartò confirmat hanc sententiam certitudo seu *πληροφορία*, quam affert animis simplex intellectus verborum Christi.

Postremò exigit hanc sententiam & intellectum verborum Christi, consolationum necessitas, quibus nos miserrimi homines in tot nostris ærumnis, periculis, & tentationibus, præcipuè indigemus, ut fides hoc tanto pignore verè presentis Corporis & Sanguinis Christi efficacius confirmetur & obsignetur quasi, de remissione peccatorum, de dulcissima illa atq; arctissima consociatione Christi, qua nos sibi & se nobis adiun-

git: de resuscitatione carnis nostra  
 stræ mortalis & corruptibilis ad  
 vitam eternam & conformitatem  
 cum glorificato corpore Domini  
 nostri IESU CHRISTI.

Et hanc asseuerationem nostram  
 & doctrinam, scimus verissimam  
 & genuinam sententiam esse  
 Augustanæ Confessionis, Apologiae,  
 et aliorum scriptorum publicorum  
 D. MARTINI LUTHERI, Domini  
 PHILIPPI MELANTHONIS & aliorum  
 piorum Doctorum, qui confessionem  
 Augustanam amplexi sunt & retinuerunt  
 sine corruptelis. Quare & nos  
 consensum illum vnanimum, extructum  
 ex verbis Christi et Euangelistarum,  
 ex declaratione Pauli, & tea

Et testimonijs probatissimorum in  
 Ecclesia Doctorum, non natum  
 ex Rationis & sapientiæ humanæ  
 luce, nec recens inuentum & exco-  
 gitatū, studiosè, vt debemus, Deo  
 iuuante retinebimus & profitebi-  
 mur, Deum æternum Patrem Do-  
 mini nostri IESV CHRIS-  
 TI ardentibus gemitibus oran-  
 tes, vt faciat nos vasa misericor-  
 diæ, & organa salutaria miseri-  
 miæ Ecclesiæ suæ & nostris anima-  
 bus, Amen.

## De Secundo.

QVOD SIT DVPLEX  
 manducatio Corporis  
 Christi.

CVM sæpè in hac disputa-  
 tione duplicis manducationis  
 e 4 Cor.

Corporis & Sanguinis Christi  
 mentio fiat, vtile est & necessari-  
 um, perspicuè ac distinctè vtrumq;  
 manducationis modum discernere.  
 De quo etsi supra non pauca di-  
 cta sunt, tamen vt rudibus vtrum-  
 que seruiatur, de vtroque ordine  
 dicam.

Vna Corporis seu carnis Chri-  
 sti manducatio Iohan. 6. cap. tra-  
 ditur, de qua vt differeret Chri-  
 stus, hanc habuit occasionem:

Saturauerat quinque Panibus  
 hordeaceis, quinque millia homi-  
 num, vbi cum multa eum turba  
 Capernaum vsq; comitaretur, &  
 hoc miraculum Christi celebraret,  
 exorta est disputatio de Manna  
 seu pane cœlesti, cuius donatio-  
 nem Pharisei magnificè effere-  
 bant,

bant, vt hoc miraculum Christi  
 extenuare & abijcere possent.  
 Tandem igitur interrogantes fa-  
 stidiosè ipsum Dominum: Quod  
 ergo tu, inquit, facis signum,  
 ut uideamus & credamus tibi?  
 Quid operaris? Patres nostri  
 manducauerunt Manna in des-  
 erto &c. Volentes mentione illa  
 Mannæ hoc dicere: Existimas in-  
 gens miraculum esse, quòd quin-  
 millia hominum paucissimis Pani-  
 bus semel cibaueris & saturaueris.  
 Procul adhuc abest istius facti tui  
 admiratio ab ea Mosis ardente fi-  
 de, qua vt multò excellentior &  
 Deo acceptior Dux & Doctor,  
 Patribus nostris à Deo impetra-  
 uit hoc beneficium, vt totos annos  
 quadraginta Pane de cælo pasce-  
 rentur, quorum non erant quin-

tantum millia , quantus tuorum  
 auditorum cœtus fuit , sed præter  
 mulierum & impuberum nume-  
 rum , plus quàm sexcenta homi-  
 num millia erant. Tale & verè  
 stupendum signum , si tu quoque  
 ederes , securè ac tutò tibi credere  
 possemus.

*His interrogationibus respon-*  
*det Dominus, Amen, Amen di-*  
*co uobis. Non Moses dedit uo-*  
*bis Panem de Cœlo, Sed Pater*  
*meus dat uobis Panem de cœ-*  
*lo uerum , Panis enim Dei est,*  
*qui de cœlo descendit, & dat*  
*Vitam mundo, &c. Ego sum*  
*Panis Vitæ, qui uenit ad me,*  
*non esuriet, &c. Ego sum Pan-*  
*is uitæ. Patres uestri manduca-*  
*cauerunt Manna in deserto, &*  
*mortui sunt, Hic est Panis de*  
 cœlo

caelo descendens, ut si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum Panis uiuus, qui de caelo descendi, Si quis manducauerit ex hoc Pane, uiuet in æternum. Et Panis quem ego dabo, Caro mea est, quam ego dabo pro mundi Vita, &c.

*Ex his atq; alijs capituli illius uerbis perspicuum est, Christum eo in loco non agere de manducatione naturali, quæ fit ore corporali: Sed spirituale quid intelligi uelle, sicut tandem disputationem illam concludit, Nequaquam eam carnaliter intelligendam aut accipiendam esse, inquit: Verba quæ ego locutus sum, Spiritus & Vita sunt, hoc est, locutus sum, de cibo spirituali & uiuis*



vinifico, & de huius manducatione Spirituali, quæ verè vitam adfert æternam.

Est ergo Spirituality manducatio Corporis Christi, & Spirituality fruitio Sanguinis Christi, primum ex verbo Euangelij audire & cognoscere, quæ & quanta beneficia illa sint, quæ Corpore & Sanguine suo, hoc est, obedientia tota, passione, morte & resurrectione sua Dominus noster IESVS CHRISTVS promeruit ( Ut sunt: remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, iustificatio, donatio Spiritus sancti, & hereditas vite æternæ ) Et deinde fiducia certa & immota, bona illa in Euangelio oblata, acceptare, sibi que applicare & propria facere, & his letari, & in

periculis & tentationibus omnibus sese his erigere & sustentare.

Hanc acceptionem seu apprehensionem beneficiorum omnium, quæ Dominus noster **I E S U S CHRISTVS** per carnem, vel, ut Petrus loquitur, in Carne, & effusione innocentis & preciosi Sanguinis sui acquisiuit ac promeruit, quam constat sola fide fieri, Nominat Christus Carnem suam manducare, & Sanguinem suum bibere, idque propter hanc similitudinem: Quòd quemadmodum nec fames ac sitis naturalis sedari, nec corpus exhaustum & languefactum replevi, confortari & recreari aliter potest, nisi cum vnusquisque ipse, non alius pro eo, cibum naturalem vsitato more

more comedit, eumq̄ stomacho conco-  
 ficiendum transmittit, & tantu-  
 sper secum retinet, donec conco-  
 ctus & in sanguinem ac spiritum  
 mutatus, omnibus corporis mem-  
 bris nutriendis, fouendis, & re-  
 creandis per venas & arterias  
 distribuatur: Ita nec fames & sitis  
 Spiritualis, hoc est, agnitio  
 peccatorum & iniusticiae propriae,  
 sensus irae Dei, & metus damna-  
 tionis & mortis aeternae, compesci  
 potest aut sedari: Nec remissio  
 peccatorum, iusticia, Spiritus  
 sanctus & vita aeterna aliter nobis  
 contingere potest, nisi hunc  
 Dominū CHRISTVM IESVM  
 SVM verum Dei & virginis  
 Mariae filium, audientes de perso-  
 na sua, de officio, & beneficijs à  
 se partis nobis concionantem, eum  
 dem

dem vna cum oblati in Verbo be-  
 neficijs, propria fide adprehenda-  
 mus, nobis que applicemus, & ap-  
 prehensum constanter retineamus,  
 atq; ita famem ac sitim nostram,  
 ipsius merito expleamus, ab ipso  
 iusticiam, innocentiam, sanctita-  
 tem mutuemur, & tanquam no-  
 stram vsurpemus, & Spiritus san-  
 cti efficacia viuificemur, reficia-  
 mur & robaremur.

De hac manducatione Spiri-  
 tuali inquit Christus expressè:  
 omnes eos, qui salutis et vitæ eter-  
 næ societatem cum ipso expetant,  
 hoc modo Carnem ipsius mandu-  
 care, & Sanguinem eius bibere  
 oportere, sicut inquit Iohannis 6.  
 Amen Amen dico vobis, nisi  
 manducaueritis Carnem Filij  
 hominis

hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis Vitam in uobis, Hoc est, oportet TE & unumquemq; fide propria statuere, & in hoc firmiter acquiescere, Carnem Christi pro TE esse in mortem traditam, & Sanguinem eius pro TE esse effusum, & obedientia illa Christi tota, tanquam oblatione & Sacrificio preciosissimo & acceptissimo summi Sacerdotis, TIBI quoq; non alijs tantum Reconciliationem cum Deo, Remissionem peccatorum tuorum, Iusticiam & Vitam eternam certò acquisitam esse, & gratis verissime donari.

Ac fit hæc Spiritualis manducatio ab omnibus pijs mentibus, in serua conuersione, quandocumq; vocem Euangelij et promissionem de Christi

de Christo & de beneficijs eius,  
 vel in concione publica, vel in pri-  
 uata absolutione ac consolatione à  
 ministro Verbi, aut ab alio quo-  
 cunq̃ue Christiano in agone mor-  
 tis, aut periculo alio audiunt, aut  
 ipsimet meditantes eam promissio-  
 nem Euangelij fiducia certa acci-  
 piunt, eaque se erigunt & susten-  
 tant.

Estque manducatio illa Spiri-  
 tualis Carnis & Sanguinis Chri-  
 sti, in vsu Cœnæ quoq̃ adeò necessa-  
 ria, vt sine ea manducatio seu vsus  
 Cœnæ externus, planè sit inutilis.  
 Ideoque toties in institutione Cœ-  
 næ, & Christus & Paulus eam  
 requirunt, vt cum Christus in-  
 quit: Quod pro VOBIS tra-  
 ditur, Qui pro VOBIS ef-  
 funditur in remissionem pec-  
 catorum

catorum. *Item*: Facite hoc in  
 mei **COMMEMORA-**  
**TIONEM.** *Paulus* verò in-  
 quit: Probet seipsum homo,  
 & sic de Pane isto comedat.  
*Item.* Quoties Panem hunc  
 comederitis, mortem Domini  
 annunciabitis, ut supra quoque  
 ostensum est.

*Sed præter hanc manducatio-*  
*nem Spiritualem, alia etiam man-*  
*ducatio est corporis Christi, quam*  
*suprà aliquoties ore fieri diximus,*  
*non tamen carnali modo, sed mys-*  
*tico & imperscrutabili. Hanc, ut*  
*discrimen sit illustrius, SACR A-*  
**MENTALEM** *manducatio-*  
*nem nominare solemus, cum vide-*  
*licet non sola Christi beneficia per*  
*Verbum nobis offeruntur, aut fide*  
*apprehenduntur: Sed ipsum quoque*  
 Corpus,

Corpus, & Sanguis verus, cuius  
 oblatione, & effusione in Cruce,  
 beneficia illa à Christo parta et ac-  
 quisita sunt, in Cœna nobis dona-  
 tur, & cum Pane & Vino ori  
 manducandum & bibendum mo-  
 do insensibili exhibetur, adeò ta-  
 men certo, vt ad confirmandum te  
 de hac cœlestis illius cibi & potus  
 præsentia substantiali, Christus  
 Panem Corpus suum, & Vinum  
 Sanguinem suum nominet, vt pro-  
 pter Sacramentalẽ illam & mysti-  
 cam vñionem Panis & Corporis,  
 Vini & Sanguinis Christi, in vsu  
 & sumptione, verè & tutò dice-  
 re possis, TE sumpto Pane, ex  
 manibus ministri, verum Corpus  
 Christi ore tuo excepisse ac man-  
 ducasse, TE ex calice Sanguinem  
 Christi ore tuo hausisse & imbi-  
 bisse,



bisse, Quia Panem illum comedi-  
 sti, & Vinum illud bibisti, Quod  
 non frustra Christus Corpus &  
 Sanguinem suum nominat, Sed  
 vult TE certissimè & sine vlla  
 dubitatione statuere, Quòd Pane  
 illo & Vino visibili accepto, man-  
 ducato & hausto, certò & verè  
 substantialis Corporis & Sanguis  
 nis illius fias particeps. Et quam-  
 quam foris aliud nihil vides, con-  
 trectas ac gustas, quàm Panem et  
 Vinum naturale, nec intelligere,  
 aut vlla Rationis tuæ sapientia  
 cõprehendere modum potes, quo tibi  
 et Vini, Corpus & Sanguis Christi  
 exhibeatur: Tamen Christo Do-  
 mino & Redemptori tuo, honorem  
 hunc & obedientiam debes, vt fac-  
 cias, quæ te ipse facere iubet, &  
 credas,

credas, quæ ipse dicit ac promittit, cum scias eum Dominum adeò veracem esse, vt certò faciat quæ promittit, & adeò potentem, vt faciliè præstare & facere possit, quæ se facturum esse pollicetur.

Etsi igitur Spiritualis illa manducatio in primis est necessaria: Tamen in hac externa & Sacramentali sumptione seu manducatione amplius quiddam fit, ad consolationem efficaciorē, & ad certificationem & assecurationem pleniorē pavidarum & consternatarum mentium, quæ se Spirituali manducatione sola sufficenter erigere, consolari ac sustentare non possunt. Quia enim, vt dixi antea, manducatio Corporis aut Carnis Christi Spiritualis, est, be-

f 3      neficia

beneficia Domini nostri. IESU  
 Christi, quæ Carne tradita in mor-  
 tem, & Sanguine eius profuso, ac-  
 quisita sunt, voce Euangelij an-  
 nunciata, fide accipere, & sibi ipse  
 applicare: Si miserrimi homines  
 fide tam firma & alacri, vt debe-  
 bant, acceptare & retinere potuis-  
 sent beneficia illa, quæ in Verbo  
 offeruntur, fortassis Christus ali-  
 um manducationis modum tradit-  
 urus non fuisset.

Sed quia infirmitas hominum  
 in hac naturæ corruptione multò  
 maior est, quàm vt in vehementi-  
 bus animi consternationibus solo  
 Verbo (vt quidem fieri par erat)  
 immota & alacri fide sese contra  
 dubitationum & tentationum flu-  
 etus attollere ac sustentare possit:  
 Christus vt huic tam magnæ &  
 tristi

tristi infirmitati nostræ medere-  
 tur ac consuleret, præter Verbi  
 vocalis ministerium, hoc etiam Sa-  
 cramentum Cœnæ suæ instituit, vt  
 eius vsurpatione fides infirma &  
 languida, tanquam pignore & ar-  
 rabone interposito, obsignaretur  
 & confirmaretur, Et Peccatores  
 miseri ac consternati certò affir-  
 mare cum fiducia possent, se non  
 solum omnium beneficiorum Chri-  
 sti precio tanto partorum, & vo-  
 ce Euangelij promissorum & an-  
 nunciatorum, participes esse: Sed  
 in Cœnæ huius sumptione, accepto  
 visibili Pane & Vino, illud ipsum  
 Corpus verum, & illum ipsum  
 Sanguinem preciosum accepisse,  
 cuius Corporis & Sanguinis ma-  
 elatione, oblatione & profusione  
 in Altari summo Crucis, tanquam

instrumentis & medijs, Christus  
bona illa prædicta semel acquisiuit  
ac promeruit.

Ita Sacramentalis sumptio seu  
manducatio nos verè participes  
facit præsentis Corporis Christi et  
Sanguinis, Cum Spiritualis sola  
Corporis & Sanguinis illius meri-  
ta & beneficia apprehendat, & sibi  
applicet. Omnino autem Sacra-  
mentali tanquam posteriori, prio-  
rem illam Spiritualem coniungi  
oportet. Quantumvis enim sæpe  
externa illa Sacramentali utaris,  
neg, tamen Carnem Domini simul  
Spiritualiter māduges, nec sangui-  
nē eius spiritualiter bibas, hoc est,  
si verbis illis, Quod pro Vobis  
traditur, qui pro Vobis effun-  
ditur in remissionem peccato-  
rum, non credas, & beneficia illa  
à Chris

à Christo parata, & in Verbo ob-  
 lata, fide propria non amplectaris,  
 & tibi ipse applices, his te non con-  
 soleris, aut cogitatione horum non  
 leteris: Sacramentalis illa man-  
 ducatio non modò tibi inutilis &  
 infructuosa, verum etiam perni-  
 ciosa, & causa iudicij erit.

Neque tamen ideo Sacra-  
 mentalis manducatio prorsus est  
 extenuanda, aut à Spirituali ita  
 diuellenda, quasi vsus eius uel nul-  
 lus vel perexiguus sit. Nam non  
 frustra nec propter futiles, sed  
 omninò necessarias & grauissimas  
 causas sancitam & institutam es-  
 se, suprà ostensum est. Quare ipsa  
 quoque, Vt necessaria, non solum  
 retinenda ac vsurpanda, sed &  
 iuxta institutionis verba sæpius

celebranda & repetenda est. Vbi  
 tamen hoc quoque monendum est,  
 nos eam necessitatis rationem non  
 ita duriter accipi velle, quasi sola  
 Spirituali manducatione, hoc est,  
 fide sola, quæ promissa Christi be-  
 neficia firmiter & constanter ap-  
 prehendat, saluari is nequeat, qui  
 sine sua culpa & sine contemptu et  
 affectata neglectione Carnæ, castis  
 aliquo necessario & inenitabilis  
 exclusus & impeditus, manduca-  
 tione Sacramentali frui non po-  
 tuit.

## De Tertio.

DE DISSIMILIBVS  
 Manducatoribus Corporis &  
 Sanguinis Christi, dignis  
 & indignis.

Cum

CUM Paulus perspicuè teste-  
 tur, aliquos de Pane & Cali-  
 ce Dominico indignè manducare  
 & bibere, & addat, Hos reos fie-  
 ri Corporis & Sanguinis Christi,  
 & sibi ipsos iudicium manducare  
 & bibere, quia Corpus Domini  
 non dijudicent: Duo inde disci-  
 mus, quorum prius est: non tan-  
 tum Panem & Vinum in sacra  
 Coena Domini exhiberi & accipi,  
 Sed simul & Corpus ac Sangui-  
 nem Domini distribui ac sumi,  
 Quia inquit, eos Corporis & San-  
 guinis Christi reos fieri, & pœnas  
 sibi attrahere ac cumulare, qui de  
 Pane & Calice Domini indignè  
 manducant aut bibant, Quod quomodo  
 fieri posset, si dato & acce-  
 pto Pane & Vino, Corpus Christi  
 non verè præsens exhiberetur,

Sed



Sed tantum absens, tanquam per  
 Symbolum & tesseram significar  
 retur?

Alterum est, quòd aliqui Cor  
 pus & Sanguinem Domini acci  
 piant indignè, qui sibi ipsi iudici  
 um manducant & bibant, idque ea  
 ipsa de causa, Quòd Corpus Domi  
 ni in Cœna præsens et coràm exhibi  
 tum non dijudicant, hoc est,  
 non magnificiunt, aut dignè esti  
 mant, Sed vel consuetudine indu  
 eti, vel vt pietatem illo prætextu  
 simulent, sine cogitatione aut in  
 tentione pia accedentes, contem  
 ptim & quasi per lusum id accipi  
 unt, sine vlla significatione reue  
 rentiæ, sine vllò metu abusus, sine  
 consideratione seria causarum,  
 Quo consilio & sine Cœna hæc in  
 stituta & vsurpanda sit, Deniq;  
 etiam

etiam sine fide vlla, beneficia Christi  
 accipiente, & sibi applicante.

Quapropter nos quoque confiteamur,  
 aliquos Corpus Christi indigne sumere,  
 Qui loco consolationis & salutaris fructus,  
 iudicium & poenas sibi accersunt.

Necessarijs verò & grauissimis de causis discernere nos hoc loco oportet,  
 Infirmos in fide, Indignos,  
 & prorsus Impios, vt tantò rectius conspici possit,  
 Qui sint Indigni illi, de quibus Paulus ita loquitur,  
 vt verba eius cogant nos sentire & statuere,  
 aliquos non tantum Panem & Vinum, Sed et Corpus et Sanguinem Christi manducare,  
 qui tamen sine vllò suo fructu id accipiant,  
 & iudicium ac poenas sibi attrahant.

Primum

Infirmi in  
Fide.

Primum ergò adfirmamus,  
non loqui Paulum hoc in loco de  
pavidis illis, & sensu iræ Dei per-  
terrefactis ac consternatis menti-  
bus, quæ fidei suæ infirmitatem &  
languorem, agnoscūt et deplorant,  
Nec se voce Euangelij satis erige-  
re ac consolari possunt, imò quæ in-  
ter dum usurpatione Cænæ huius,  
& thesauri preciosi, quem sibi cera-  
to coràm & in præsentī exhibe-  
ri & à se accipi credunt, difficul-  
ter sustentare & attollere sese pos-  
sunt: Sed cogitatione magnitudi-  
nis & multitudinis suorum pecc-  
catorum, & conspectu tristissim-  
arum sordium suarum, trepid-  
ant, & metuunt, indignas se esse  
se, quibus vel καμίνδιον & thesauri  
tantus, vel tot Christi benefi-  
cia tribuantur, Nec possunt pro-  
pter

pter has trepidationes, dubitationem omnem de remissione tot & tantorum peccatorum suorum, de perfecta cum Deo reconciliatione, de certissima donatione iusticiæ & hæreditatis vitæ æternæ, fide alacri & excitata vincere, & penitus ex animis suis eijcere.

Tales nominantur Imbecilles seu Infirmi in fide, qui nequaquam inter Indignos illos, de quibus Paulus loquitur, connumerandi, aut illo Paulino fulmine terrendi sunt, quasi de Pane & Calice Domini indignè comedant, & sibi ipsi iudicium manducent ac bibant. Nam si omnes illi, qui se in fide infirmos & languidos agnoscunt, pro indignis censendi essent, Qui non ad utilitatem suam, sed ad iudicium, mortem

mortem & exitium æternum, Corpus & Sanguinem Christi accipiunt: Quis nostrum ad Cœnæ huius usum, tutò accedere auderet? Nam quanta in singulis fidei imbecillitas ac languor sit, cum dolore experimur, & meritò deploramus. Nec quisquam est, qui non causas in semetipso habeat & sentiat plurimas & gravissimas, ut cum Apostolis sæpè, imò assidue oret: Domine adauge nobis fidem, Lucae 17. Et cum miserimo illo Patre dæmoniaci, Marci 9. Credo Domine, sed opem ferre incredulitati meæ.

Etsi igitur dubitationes illæ & trepidationes pauidarum mentium, quæ alacritate tanta, quanta debebant, voci Euangelij credere,

fidere, & Sacramentis sese erigere  
 satis nequeunt, per se peccata sunt  
 non leuia, & displicentia Deo, vt  
 certum est, Christum Discipulos  
 suos propter incredulitatem talem  
 sæpè obiurgare, cum nominat eos  
 ὀλιγοπιστοι & in fide infirmos: Ta-  
 men ea de causa tales à Sacramēto  
 Corporis et Sanguinis Christi non  
 arcendi aut deterrendi sunt illa  
 comminatione, quasi propter in-  
 firmitatem illam & ὀλιγοπιστοι sibi  
 ipsi iudicium manducaturi, & Rei  
 futuri sint Corporis & Sanguinis  
 Christi: Sed potius hac conso-  
 latione erigendi ac confirmandi  
 sunt, propter illos ipsos infirmos  
 Sacramentum hoc sancitum &  
 institutum esse, vt in eiusmodi  
 pauoribus & trepidationibus con-  
 solationem habeant firmam, dura-  
 bilem

g

bilem & efficacem, sicut Christus  
 ipse testatur, inquiens: Non est  
 opus Medico ualentibus, sed  
 malè habentibus, Matth. 9.  
 Et Matthæi 18. inquit: Non  
 est uoluntas ante Patrem ue-  
 strum, qui in cœlis est, ut per-  
 reat unus de pusillis istis, Imò  
 & inuitat ad se uerbis humanissis  
 & dulcissimis, & mandato  
 serio compellit ad se venire, illos  
 præcipuè, qui se oneratos & mole  
 peccatorum grauatos sentiunt,  
 quibus certam recreationem polli-  
 cetur, cum inquit: VENITE  
 ad me omnes qui LABO-  
 Ratis & ONERA-  
 TI estis, ego reficiam uos,  
 Matth. 11. Paulus quoque Romæ  
 14. præcipit: Infirmum in fide  
 assumite, non ad disceptationes  
 cogita-

cogitationum, DEVS ENIM  
ILLVM ASSUMPSIT.

Infirmi ergò illi, si scintillulam saltem fidei habeant, aut ut Christus loquitur, si fidem habeant ut granum Sinapis (Matth. 17. Luc. 17.) quod minimũ est omnium seminum, Matth. 13. Eoque promissionem gratiæ in Verbo oblatam, & Sacramentis confirmatam & obsegnatam, amplectantur & retinere conentur, nequaquam inter Indignos, de quibus Paulus loquitur, recensendi aut commiscendi sunt, qui sibi ipsi iudicium manducant, & Rei fiant Corporis & Sanguinis Christi: Sed potius existimãdi sunt dignissimi omnium, qui Corpus & Sanguinem Christi cum fructu suo manducant & bibant,



bibant, Vt pote, Qui instar Publici  
 cani illius miseri, serio esuriunt ac  
 sitiunt iudiciam, & oculos suos ad  
 caelum attollere non audent. Ideo  
 etiam largiter saturantur, Matth.  
 5. sicut & de Publicano pronun-  
 ciat Christus Lucae 18. Dico uo-  
 bis, descendit hic in domum  
 suam iustificatus magis quam  
 ille.

Ita hi quoque, quantumuis infir-  
 ma sint in eis initia, si modo ali-  
 qua vigeat Fidei scintillula, qua  
 Corpus & Sanguinem Christi eti-  
 am Spiritualiter comedere incipi-  
 ant, & illam fidem manducatione  
 Sacramentali Corporis & San-  
 guinis confirmant, Vtraque mandu-  
 catione certo & efficaciter recre-  
 antur, viuificantur & roboran-  
 tur diuina virtute, quae ut Paulus  
 loquitur

loquitur 2. Corinth. 12. in infirmis  
 perficitur. Christus enim Dominus  
 ac Saluator noster benignissimus,  
 sicut in Esaia 42. cap. promittit:  
 Arundinem quassatam non vult  
 penitus confringere, aut Lychnum  
 fumigantem prorsus extinguere,  
 sed potius afflatu lenissimo viuifi-  
 ci sui Spiritus, certò per Verbum  
 & Sacramenta efficacis, magis  
 magisq̄ scintillulam illam exusci-  
 tare, augere & prouehere, donec  
 assurgat in fulgidam, viuam &  
 efficacem flammam ardentis, il-  
 lustris, & fructificantis Fidei.

Paulus verò de indignè man-  
 ducantibus loquens, non intelligit  
 eos, qui infirma & languida fide  
 accedunt, sed qui Cœna illa turpi-  
 ter abutuntur, hoc est, qui à Paulo,

& alijs Euangelij ministris didice-  
 rant, Quid de Cœna huius substan-  
 tia, & fructu sentire, Et quomodo  
 ad vsum eius accedere deberent,  
 quòd videlicet se ipsi probare &  
 explorare deberent, hoc est, non so-  
 lum scire, Panem hunc cõmunicac-  
 tionem esse Corporis Christi: Sed  
 etiã Cœna illa vti, cum attenta cir-  
 cumspectiõne, reuerentia & metu  
 prophanationis & abusus, & cum  
 consideratione causarum, cur Chris-  
 tus Dominus in illa ipsa nocte,  
 qua traditus fuit, Cœnam hanc in-  
 stituerit, Quo tempore haud dubie  
 aliquid noui, ardui & arcani in re-  
 cordatione sui, sancire, & post se  
 relinquere voluit, vt afflictæ con-  
 scientiæ, peccatorum suorum con-  
 spectu, & sensu iræ Dei per terres-  
 factæ, præter vocem Euãgelij cer-  
 tum

tum pignus haberent, ipsum videlicet Corpus & Sanguinẽ Domini sui, cuius usurpatione & sumptione confirmarentur de Remissione peccatorum & iusticia gratis donata, propter unicum Sacrificium, quod Filius Dei Dominus noster **IESVS CHRISTVS**, traditione Corporis sui in mortem contumeliosam, & effusione preciosissimi & immaculati Sanguinis sui semel peregerit, Eaquẽ ipso adoptionem filiorum Dei & hereditatem vitæ æternæ gratuitam acquisierit, omnibus fide eam accipientibus.

Corinthij verò etsi ex doctrina Pauli didicerant, in Cœna Domini Corpus & Sanguinem Christi distribui, quæ cœu pignora bonorum æternorum accipi deberent in

seria contritione & dolore propter  
 peccata admissa, ad confirmatio-  
 nem fidei apprehendentis remissio-  
 nem peccatorum in Verbo obla-  
 tam, propter mortem & effusio-  
 nem Sanguinis Christi, atque ita  
 hanc Cœnam vsurpari debere, cum  
 reuerentia & attentione summa,  
 & deniq; cum ostensione fructuum  
 conuenientium: Tamen conuenie-  
 bant ad Cœnæ publicæ celebra-  
 tionem cum summa securitate, <sup>et</sup> <sup>reuer-</sup>  
 yntia, leuitate, confusione, & con-  
 temptu non dubio, Ita vt vel Cœ-  
 nam illam sacram prorsus non ser-  
 uarent, vel qui erant locupletio-  
 res, & in re magis lauta, cibum  
 & potum proprium ad congressus  
 publicos sibi afferri curarent, Ibiq;  
 non ad satietatē tantum, sed etiam  
 ad ebrietatem belluarentur, vt pos-  
 stea

itea ad accipiendam Cœnam Do-  
 minicam, imparati, somniculosi, in-  
 epti, frigidi & nauseabundi acce-  
 derent, Nec usus eius alius esset,  
 quàm prætextus & simulatio va-  
 næ pietatis, vt qui non fieret cum  
 aliquo timoris Dei sensu, cum vlla  
 seria contritione, aut dolore expa-  
 nescente ob iræ Dei metum, cum  
 vlla cogitatione de apprehenden-  
 dis beneficijs Christi, quæ morte  
 acerbissima & preciosi Sanguinis  
 profusione acquisiuit, cum vlla de-  
 nique inuocatione, aut gratiarum  
 actione seria, cum vlllo proposito  
 ardenti vitæ deinceps emendandæ.  
 Existimabant enim satis esse, si  
 ea Sacramentali manducatione  
 Corporis & Sanguinis Christi, se  
 ciues Ecclesiæ publicè profiteren-  
 tur, & qualiacumq; Fidei & pro-  
 fessione

fessionis suae testimonia ederent,  
 & simul applausum popularem eo  
 ipso captarent, quòd cum periculo  
 vitæ & rerum suarum, ab idolo-  
 manijs Ethnicis recessissent, ac  
 Christianam fidem amplexi essent.

Interea verò rixis non neces-  
 sarijs inter se digladiabantur, ex  
 quibus sectæ & dissipationes ve-  
 riæ oriebantur, aut alioqui peccatis  
 contra conscientiam sese pollue-  
 bant, cum ingenti infirmorum  
 scandalo, & impedimento cursus  
 Euangelij recens inter Ethnicos  
 sparsi, qui cum cernerent certamina,  
 confusiones & scelera eorum,  
 qui doctrinam Euangelij acceper-  
 rant, Christum & Euangelium  
 eius contumeliosis vocibus blas-  
 phemabant, ac speciosis pretextibus

bus persequerentur. Qua de re Paulus in tota priore ad Corinthios Epistola conqueritur, & has confusiones acerrimè taxat, cum nihilominus sancti ac religiosi pietatis cultores haberi vellent, & securè ac confidenter ad usum Cœnæ accederent, & subinde gloriosas illas de libertate Christiana voces detonarent, & donorum Spiritualium gloriatione superberent.

Hanc tam multiplicem & fœdædam prophanationem & abusum Cœnæ Dominicæ, Paulus acerrimè, ut decet, taxat & accusat, præsertim in capite undecimo, & <sup>διαφθην</sup> eis denunciat, Quòd Corporis & Sanguinis Christi Rei fiant, & iudicium sibi manducant & bibant ij, qui cum abusus & pro-



prophanationis tam tetræ culpæ,  
 Corpus & Sanguinem Christi acci-  
 piperent, & in securitate, impæni-  
 tentia & proposito ruendi contra  
 conscientiam perseuerantes, vsum  
 Cœnæ pietatis simulationi præten-  
 derent, & applausus futiles stultæ  
 multitudinis illa Christianitatis  
 professione captarent. Imò mani-  
 festè inquit Paulus, confusiones &  
 prophanationes illas tam fuisse ter-  
 tras & vulgatas, vt eas Deus ferre  
 amplius non potuerit, Sed hunc  
 Cœnæ & Verbi sui indignum abu-  
 sum, morbis ἐπιδημοῖς & contagiosis punierit.

Ex quibus omnibus manifestè  
 ostendi potest, nequaquam sensisse  
 se Paulum, solum naturalem aut  
 vulgarem Panem in Cœnâ sacra  
 ab his suis & cæterorum ministro-  
 rum

rum Discipulis in abusu & prophanatione tali contumeliose habitum ac tractatum fuisse, Id enim etsi iniustum & pœna dignum esset: Tamen verè de abusu tali dici non posset, eum qui prophanet Panem naturalem & simplicem, Reum fieri Corporis & Sanguinis Christi, quæ culpa tam grauis sit, vt iudicium, iram, & pœnas horribiles accersat. Sed vult Paulus illa tam dura & seria oratione significare, Eos, qui doctrinam ipsius de substantia Cœnæ Domini receperant, & veram esse crediderant, Non tantum Panem & Vinum, sed & Corpus & Sanguinem Christicum Pane & Vino naturali accepisse. Sed quia hæc sine pœnitentia, sine contritione et dolore serio, sine fide, sine proposito

sito emendandæ vitæ suæ, tantum  
 ut prætextum & significationem  
 externæ disciplinæ sumpserint, eos  
 Corpus Christi, quo  $\chi\rho\iota\sigma\tau\omicron\varsigma$  ac præ-  
 cium pro peccatis nostris in cruce  
 persolutum est, et Sanguinem, qui  
 in remissionem peccatorum nos-  
 trorum effusus est, prophanasse et  
 contumeliosè tractasse, Eamque  
 causam esse iræ, iudicij & pœna-  
 rum diuinarum, corporalium &  
 æternarum, quas expectare eos  
 certò oporteat, nisi reatus & cul-  
 pæ tantæ remissionem in seria &  
 non simulata pœnitentia & con-  
 uersione quærant.

Quod verò Paulus conqueri-  
 tur, id multò magis nos quoque, ve-  
 ris gemitibus queri ac deplorare  
 possumus, multos ex auditoribus  
 nostris

nostris, qui inde vsq; ab ineunte  
 etate sic instituti sunt, & hoc di-  
 dicerunt, & credunt, in Cœna  
 Domini, iuxta verba institutio-  
 nis Christi, non tantum Panem  
 & Vinum, sed & Corpus et San-  
 guinem Christi distribui & acci-  
 pi ab omnibus, qui cum hac fide &  
 proposito accedunt, vt Corpore &  
 Sanguine Domini vescantur:  
 Proh dolor indignè de Pane isto  
 & Calice Domini edere & bibe-  
 re, non dijudicantes Corpus Do-  
 mini, hoc est, Non vt thesaurum  
 nobilissimum & preciosissimum  
 existimantes, quo non aliter vti  
 debebant, nisi ad summam suam  
 necessitatem, ad consolandam con-  
 scientiam perterrefactam, ad con-  
 firmandam fidem, ad accenden-  
 dum timorem Dei, obedientiam  
 veram,

veram, dilectionem Dei & pro-  
 ximi, patientiam in cruce, &  
 tentationibus varijs, ad exusci-  
 tandam inuocationem & gratia-  
 rum actionem, Qui vsus simul eis  
 commonefactio, testimonium &  
 obsignatio esse debebat arctissime  
 et admirabilissime vnionis ac con-  
 sociationis, quam filius Dei cum  
 carne nostra fragili & mortali fe-  
 cit, qua testatus est, quòd nos  
 quoq; & carnem nostram, perinde  
 vt suam, ex mortuis resuscitatu-  
 rus, & immortalitate, sapientia,  
 vita & gloria æterna ornaturus  
 & donaturus sit, Quæ quidem  
 commonefactio ac testificatio in-  
 ter præcipuas causas est, propter  
 quas Cœna hæc à Domino institu-  
 ta & sancita est.

Certum est igitur hos propheta  
 nato

natores thesauri huius & pigno-  
 ris nobilissimi & preciosissimi,  
 iuxta comminationem Paulinam,  
 non solum propter manducatum  
 contemptè Panem naturalem, aut  
 haustum Vinum naturale, Sed  
 multò magis propter prophanatum  
 & indignè manducatum Corpus  
 Domini, in cruce pro ipsis tradi-  
 tum, & propter haustum indignè  
 Sanguinem preciosum, profusum  
 in remissionem peccatorum, Reos  
 fieri, hoc est, abusu & contemptu  
 cœlestis illius cibi & potus, iram  
 Dei, iudicium & pœnas atroces  
 sibi accersere, Multoquè ipsis con-  
 sultius fore, prorsus manducatio-  
 nem illam Sacramentalem omitte-  
 re, quàm hoc modo sine circumspe-  
 ctione, reuerentia, attentione &  
 consideratione causarum grauissi-  
 marum,



unt, etiamsi fieri posse videatur,  
aut concedi vlla ratione possit,  
Corpus Christi praesens ore accipi,  
Tamen hoc certū est, Corpus Chri-  
sti non esse mortuum, aut sine ope-  
ratione, Sed vbiunq; verè accipi-  
tur, certò id efficax esse, & in men-  
tibus efficere consolationem, leti-  
ciam, vitam, pacem, robur fidei,  
& effusione sui Spiritus accende-  
re obedientiam nouam, & alias  
virtutes Deo placentes, ac paula-  
tim nos ad imaginem Dei trans-  
formare. Quare si Indigni Cor-  
pus hoc verè acciperent, fieri non  
posset, quin & in ipsis efficaciter  
operaretur, & nouitatem ac con-  
formitatem cum Deo inchoaret.

Cum verò efficaciae illius &  
nouitatis vestigia nulla in Indi-  
gnis



gnis illis & securis Christiana pietatis professoribus, conspiciantur, etiamsi Cæna Domini aliquoties utantur, ut qui in peccatis, & sceleribus assuetis perseuerent, sine vlla vitæ emendatione, & carnalium cupiditatum mortificatione: valdè aliqui contendunt, securos illos & indignos, de quibus Paulus loquitur, Corpus Christi in Cæna verè non accipere. Cumque nec spiritualiter id comedant, hoc est, ad manducationem illam sacramentalem non adferant fidem, que in seria conuersione & pœnitentiæ remissionem peccatorum & alia beneficia Christi, imò totum Christum amplectatur, & proprium sibi faciat: concludunt, Indignos illos manducatores, præter Panem & Vinum nihil accipere, neq; plus in Cæna

in Cœna illa consequi, quàm si prophanium & vulgarem cibum ac potum domi suæ sumpsissent.

Est sanè hæc obiectio admodum plausibilis, & speciosè non solum exponi, sed etiam ornari eloquentiæ splendore potest, præsertim cum huc conferuntur dulcissima dicta Christi Iohannis 6. tradita: Qui Carnem meam manducat, & bibit Sanguinem meum, habet uitam æternam. Item: Qui carnem meam manducat, & Sanguinem meum bibit, manet in me, & Ego in eo. Et alia similia. Nec est facilè obiectiõni huic ita respondere, vt homini rixoso & Sophistico plenè satisfiat.

Sed pium Lectorem ea hoc in  
 b 3 loco

loco secum repetere animo peto,  
 quæ suprâ dicta sunt: Præcipue  
 nos in verba Christi intentos esse,  
 & his tanquam fundamento fir-  
 missimo fidem nostram superex-  
 truere oportere, si præcipuos do-  
 ctrinæ cœlestis articulos sine cor-  
 ruptelis tueri & conseruare volu-  
 mus, Etiam si non possumus illa  
 demonstrationum *ἰσχυρισμῶν* & per-  
 spicuitate, qualis in Geometricis  
 vsurpatur, omnia illa refutare &  
 dissoluere, quæ vel ex Philosophi-  
 cis principijs & luce naturali, vel  
 etiam ex Scripturæ dictis perpe-  
 ram allegatis, aut consequentijs  
 contortis & deprauatis opponun-  
 tur, & in partem contrariam dis-  
 sputantur, Nosque tutissimè age-  
 re, si ceu infantes & lactentes,  
 maneamus Discipuli & audito-  
 res,

res, summi Doctoris ac Magistri  
 nostri, ac solo ipsius Verbo aduer-  
 sus obiectiones omnium, imò &  
 contra propriae Rationis nostrae  
 contradictiones, nos tueamur,  
 consolemur & confirmemus.

Sed de hac ipsa tamen obiecti-  
 one hunc in modum commonefieri  
 possunt rudiores, & cæteri, qui  
 dociles sunt, & non pertinaciter  
 studio contradicendi rixas quæ-  
 runt infinitas: Quod certissimum  
 & verissimum quidem est, Corpus  
 Christi, quod in Cæna sacra acci-  
 pimus, non esse mortuum, planè  
 ociosum, aut inefficax. Sed rursus  
 tamen hoc negari non potest, Cor-  
 poris illius virtutem & efficaciam  
 non æstimandam esse pro condi-  
 tione Virium naturalium in re-

bis creatis, & sine deliberatione  
 agentibus, quæ si non impediantur,  
 vno semper modo, quo conditæ  
 sunt et ordinatæ à Creatore, agunt,  
 sine discrimine temporum, locorum,  
 personarum & similium circumstantiarum,  
 & agunt sine intermissione vlla seu suspensione  
 actionis, Quia natura à Creatore  
 sic ordinata est, vt indefinenter  
 agat, nec ipsa illum ordinem impedire,  
 aut mutare potest. Vt ignis, vbicunq̃  
 est, quod ad naturales ipsius vires & effectiones  
 attinet, non potest non lucere, calefacere,  
 vrere, consumere ac disgregare res obiectas,  
 corruptibiles & <sup>et temporales</sup> ~~temporales~~. Et hæc agit ignis sine intermissione  
 tantisper, donec ignis est, vbicunq̃ locorum fuerit, &  
 qualiscunq̃ materia admota fuerit,

rit, ea luce & calore ignis perfunditur, & efficaciam eius naturalem experitur.

Sed cum de Corporis Christi efficacia dicitur, quod certissimè non est mortuum aut ociosum, intelligitur eiusmodi Corpus efficax & operosum, quod **PERSONÆ** est, hoc est, substantiæ viue & intelligentis, quæ agit **LIBERRIME**, quodcumq̃, ubicumq̃, quomodocumq̃, & quando-  
cumq̃ vult agere, & vires suas exerere, Nec est ad vnâ aliquam certam, immutabilem, & perpetuam agendi rationem & modum alligata, instar cæterarum rerum creatarum, inanimatarum, aut brutarum, naturaliter tantum, non liberè aut voluntariè agentium.

Vult autem hæc persona agere & efficax esse ad salutem, in veris et viuis Ecclesie suæ membris, hoc est, in ijs tantum, qui Verbum ab ipso patefactum audiunt, & ex eo misérias suas agnoscunt, & agnitas deplorant, & veris gemitibus remissionem peccatorum expetunt, & ex Euangelio promissione audita, cupidè & corde fidelitè accipiunt, quiq; hanc suam fidem, vsurpatione Cœnæ Dominicæ cum intentione & serio proposito emendationis, obsignare & certificare cupiunt.

In reliquis verò, qui hypocritarum more, secundum Literam, verbum Dei audiunt, & Cœnam Domini vsurpant sine seria contritione & dolore propter peccata admissa, sine ardenti desiderio, &

appre-

apprehensione remissionis peccato-  
 rum, sine proposito ac *προουσιω* in-  
 choandæ vitæ nouæ, In his, inquã,  
 non vult esse efficax, etiamsi Ver-  
 bum idem audiant, quod alijs est  
 potentia DEI ad salutem creden-  
 tibus, & Corpus idem ac Sangui-  
 nem eundẽ Domini manducant ac  
 bibant, quia hi securi nec Verbum  
 seriõ cogitant aut fide recipiunt,  
 Nec Spiritualem manducationem  
 illi Sacramentali more pœnitenti-  
 um adiungunt, nec Corpus Chri-  
 sti dijudicant, hoc est, Non pro in-  
 estimabili pignore recipiunt, quo  
 fides eorum obfignari ac confirma-  
 ri de remissionis peccatorum debe-  
 bat & poterat in seria consterna-  
 tione, orta ex sensu iræ Dei ad-  
 uersus peccata, Imò ne sentiunt  
 quidem vllum conscientie vulnus  
 ac do-



ac dolorem post commissis peccata,  
 sed aut contemnunt iram Dei, aut  
 extenuant. Et tamen vel consue-  
 tudine inducti tantum, vel simu-  
 latione pietatis, sine pœnitentia &  
 sine fide ad sacratissimam Cœnam  
 accurrunt.

In talibus adfirmamus Chris-  
 tum Corpore et Sanguine suo non  
 velle operari & efficacem esse ad  
 ipsorum renouationem aut salu-  
 tem, sicut non omnes leprosos,  
 paralyticos, aut hydropicos in Iu-  
 dea sanauit, qui videlicet Do-  
 minum hunc non recipiebant, non  
 venerabantur vt Messiam, eius  
 beneficia aspernabantur. Sed il-  
 lis tantum opem suam præstitit,  
 qui in ærumnis & morbis suis ad  
 ipsum confugiebant, aut addu-  
 cebantur, & cum fiducia sanatio-  
 nis

nis & liberationis auxilium eius  
petebant & expectabant.

Ac vt magis perspicua hæc fi-  
ant, intueamur Corpus Christi,  
quomodo & quando, & erga quos  
id efficax fuerit, dum in terra ad-  
huc inter homines versabatur,  
Quod Corpus propter admirabilis-  
simam & arctissimam cum natu-  
ra diuina filij Dei vnionem perso-  
nalem seu *ἕνωσιν*, factam in as-  
sumptione carnis nostræ, vi admi-  
randa donatum, & præ alijs omni-  
bus hominum corporibus ornatum  
fuit, ita, vt solo contactu suo ocu-  
los cæcis aperire, sordes tetras &  
cōtagia leproforum mundare, lin-  
guas mutorum resolvere, mortuo-  
rum corpora reuocare in vitam,  
& his animas rursus coniungere,  
Et alia

Et alia miracula facere potuerit,  
 vim humanam omnem exuperan-  
 tia. Imò quod amplius est, vis tan-  
 ta ex diuino illo, seu vt Antiquitas  
 locuta est,  $\pi\epsilon\delta\omega\mu\lambda\iota\sigma$ , hoc est, diui-  
 nae naturae vnito corpore egressa  
 est, vt qui egroti solam fimbriam  
 vestimètorum ipsius attingerent,  
 sanationem & liberationem ab o-  
 mnibus suis morbis & infirmita-  
 tibus senserint, vt clarè testan-  
 tur Matthæus cap. 14. Et Marcus  
 cap. 6.

Sed vis illa salutifera & medi-  
 catrix non semper aut indefinen-  
 ter, aut necessariò & immutabili-  
 ter ex Corpore illo sancto & mun-  
 do effusa est, eo modo, quo splendor  
 & radij ex Solis globoso corpore,  
 immutabiliter, sine intermissione  
 & necessariò in omnes mundi par-  
 tes

tes diffusi sparguntur, aut sicut lux  
 & calor ex ignis substantia, neces-  
 sario in partes omnes & res cir-  
 cumiacentes, quas contingere po-  
 test, diffunditur, & materiam ad-  
 motam quamlibet pro natura cu-  
 iusq; illustrat, calefacit, colliquat  
 aut succendit.

Nam si perennis talis fuisset  
 illius virtutis sanatricis effusio ex  
 Corpore Christi, etiam quoscunq;  
 imò omnes malè habentes & agro-  
 tos, obiter & casu prætereun-  
 tes ipsum, vel quos ipse præteriis-  
 set, necesse fuisset à morbis etiam  
 nihil tale petentes aut sperantes li-  
 berari, quod nullus Evangelista-  
 rum usquam commemorat, sed  
 quantum ex Evangelica historia  
 sciri potest, animaduertimus Chri-  
 stum, ut personam liberrimè agen-  
 tem,

tem, hanc suam potentiam & efficaciam exeruisse suo liberrimo iudicio ac voluntate, quocumque vel loco vel tempore, vel erga quoscumque homines ipsi eam ostendere & usurpare visum est.

Ac ne contactus quidem etiam corporalis ipsius, omnibus salutaris, & ad faciendam mutationem aliquam in tangentium aut tactorum corporibus efficax fuit. Nam haud dubie multi Christum & vestimenta eius corporaliter contrectarunt, quos & ipse vicissim attigit, Ut cum à Phariseis ad commune conuiuium inuitatus, vel ingrediens vel discedens (pro more gentis) osculo, aut dextera data, et exceptus dimissus est. Aut cum à multitudine, cupiditate videndi

dendi & audiendi ipsum irruente  
 vehementius, ut Marcus narrat  
 cap. quinto, & Lucas cap. octavo,  
 compressus est. Aut cum Judas inter  
 osculandum eum complexus est,  
 Et ministri Sacerdotum in horto  
 eum prehensum, ligarunt, & verberibus  
 inhumanissime contuderunt. Qui tamen omnes salutarem  
 illam & viuificam Corporis huius  
 sanctissimi efficaciam non perceperunt,  
 aut ullam corporum suorum  
 mutationem, vel labis & infirmitatis  
 ullius sanationem, Corporis huius  
 contactu, experti sunt in suis corporibus.

Quod autem vis illa salutaris  
 & efficax, quam Christus impositione  
 manuum suarum, aut contactu  
 quorumcumque egrotorum, ex  
 Corpore suo quasi effudit, non fuerit

rit carnis humane assumptæ propriæ, aut efficacia naturalis, Sed huius omnipotentis & liberrimæ agentis personæ Virtus, ex eo manifestum est, Quòd hic Dominus etiam sine contactu Corporali aut impositione manuum, mortuos in vitam reuocauit, vt filium Viduæ ad Naim, Luc. 7. Lazarũ, Iohannis 11. Imò & eos infirmos, & lethaliter egrotantes, qui magno locorum interuallo ab ipso aberat, sola voce sua & nutu quasi voluntatis suæ sanat, & viuificat, vt filium Reguli, Iohan. 4. Seruum Centurionis, Matth. 8. & Lucæ 7. Syrophæniissæ filiolum à demonio exagitatam, Matth. 15.

Sed salutaris illius & viuificæ virtutis & efficaciæ Corporis Christi

Christi participes tum facti sunt  
 soli illi, Qui vel ipsum vel fimbri-  
 am vestimenti eius contingebant,  
 vel ab eo contingebantur, affe-  
 rentes FIDEM, petentem  
 & certò expectantem eius au-  
 xilium & opem, Et sine hæsita-  
 tione statuentem, Dominum hunc,  
 cuius Corpus aut Vestimentum at-  
 tingebant & contrectabant, esse  
 infinitæ bonitatis & misericor-  
 diae, esse infinitæ sapientiae & po-  
 tentiæ, esse in promissionibus suis  
 veracem, qui certò OMNIBVS  
 ad ipsum confugientibus FIDE,  
 & PETITIONE auxilij, ab  
 omnibus morbis & infirmitatibus  
 liberationem præstare possit & ve-  
 lit.

In ijs, inquam, Dominus noster  
 IESVS CHRISTVS ef-  
 ficaci-



ficaciam contactus sui liberrimè  
 exeruit, ac Corpus suum salutare  
 & viuificum esse declarauit, ut  
 quod diuinæ & omnipotentis natus  
 ræ filij Dei arctissimè vnitum es-  
 set.

In cæteris verò, qui illud ipsum  
 Corpus eius cōtrectabant aut con-  
 tingebant sine FIDE, sine  
 PETITIONE aut EX-  
 PECTATIONE vllius au-  
 xilij & beneficij, qui non statuer-  
 bant eum Messiam & Dei filium  
 esse: His non demonstrauit aut  
 exhibuit se alium, quàm qualem  
 eum esse putabant, Nempe Homi-  
 nem similem cæteris, qui corpus  
 haberet nulla alia vi aut virtute  
 præditum, quàm quale haberent  
 omnes in orbe homines.

Quare etsi diu multumq; à ta-  
 libus

libus contrectaretur, vinciretur  
 & pulsaretur: Tamen in ijs illo  
 contactu suo ad emendationem aut  
 salutem ipsorum non erat efficax,  
 Sed illi ipsi homines contactu illo  
 infideli & tractatione eius contumeliosa, peccata sua cumulabant,  
 ut Sacrosancti Corporis Rei fierent, nec nisi ad iudicium & penas horribiles eum attingebant, eò quòd tanti Domini Corpus cum contumelia & contemptu tanto contrectarent.

Contra verò **CREDENTI-  
 BVS** contactus proderat non tantum ad sanandas corporis ægrotudines, sed & ad animarum & conscientiarum onera excutienda, quibus propter peccata admissa premebantur ac cruciabantur.

Eaꝫ causa est, quòd Christus  
 toties his verbis tales compellat:  
**FIDES** tua saluum te fecit,  
 Matth. 8. Fiat tibi sicut credi-  
 disti, Matth. 15. Fiat tibi sicut  
 uis. Atq; ita honorem diuinæ suæ  
 & omnipotentis efficacie, quæ  
 vnica & potissima sanationis &  
 liberationis causa fuerat, sibi quo-  
 dammodo detrahit, eamque **FIDEI**  
**DEI** sanatorum, quæ tamen sæ-  
 pè imbecilla & languida erat, at-  
 tribuit, Perinde ac si diceret: Con-  
 tactus iste tuus, quo vel Corpus  
 meum viuificum & salutiferum,  
 vel Vestem meam attigisti, inuti-  
 lis atq; inefficax futurus fuisset,  
 nisi simul fiduciam hanc attulisses,  
 certò statuentem me Saluatorem,  
 Medicum atq; Opitulatorem tuum  
 verum & efficacem velle & posse  
 esse.

Eodem

Eodem modo nos quoque dicere  
 possumus, Corpus Christi non so-  
 lum à Dignis, sed etiam ab Indi-  
 gnis manducari (ijs, inquam, In-  
 dignis, qui iuxta Literam seu ver-  
 ba institutionis Corpus Christi in  
 Cæna hac se accipere credunt) &  
 tamen illud ipsum Corpus in solis  
 Verè credentibus efficax esse, &  
 in eis veram ac viuificam consci-  
 entie consolationem, confirmatio-  
 nem fidei, læticiam, pacem & vitæ  
 nouæ atq; eternæ initia accendere,  
 Quia tales non tantum percipiunt  
 Corpus Christi Sacramentaliter,  
 sed simul etiam manducationē Spi-  
 ritualem addunt, hoc est, certò &  
 sine dubitatione statuunt, se Sal-  
 uatoris et Redemptoris sui Corpus  
 manducare, quod in cruce in mor-  
 tem pro ipsis traditū est, vt λόγος  
 i 4 esset

esset ac precium pro peccatis ipsorum, Eoq̄ tanquam omnium preciosissimo & dignissimo pignore exuscitant & confirmant fidem suam, statuentem, remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, imputationem iusticie, & acceptationem ad hæreditatem vitæ eternæ sibi ratam, certam atq̄ indubitam esse.

Qui ergo Corpus Christi eo, ut dictum est, modo dignè accipiunt, adferentes verum & non simulatum propter peccata sua dolorè, et rursus erigentes sese fiducia promissionis Euangelij: His sine ulla dubitatione fit secundū fidem ipsorum. Sentiūt enim in cordibus suis vim efficacem Corporis huius viuifici & salutiferi, quo dolores & pauores orti à conspectu peccatorum,

rum, & sensu iræ & iudicij diuini, sedantur & tolluntur, & rursus auxilio & efficacia Spiritus sancti, per hæc media operantis, accenduntur sensibilis consolatio, pax, leticia, gratiarum actio, inuocatio, odium & fuga peccati, bonum propositum, & studium obediendi Deo iuxta omnia præcepta, patientia in cruce quacunque, in morte, in acerbissimis cruciatibus, & laceratione corporis, constantia in confessione, celebratio gloriæ Dei & veritatis in Euangelio patefactæ, spes firma & constans certæ liberationis & salutis æternæ, & aliæ his similes virtutes & fructus Spiritus.

Qui verò de Pane hoc indignè manducant, quem tamen iuxta  
 i 5                      verba

Verba institutionis, Corpus Christi, seu ut Paulus enarrans & interpretans verba Christi loquitur, καὶ οὐτως Corporis Christi esse existimant, hoc est, qui ab ineunte ætate sic instituti & edocti sunt, ut credant, in Cæna hac non Panem solum exhiberi & accipi, sed dato & accepto hoc Pane, verè dari & accipi Corpus Christi: Ii quidem hoc, quod credunt, confitentur, ut videlicet Pane accepto & manducato, certò etiam accipiant & manducant verum Christi Corpus, traditum pro ipsis in mortem, Sicut sonant verba veritatis Christi Cænam hanc instituentis: Accipite, comedite, hoc est Corpus meum &c.

Sed quia non addunt manducationis

cationem Spiritualem, omnibus  
 modis necessariam ad consequen-  
 dos Cœnæ fructus, hoc est, Quia  
 accedunt sine serâ pœnitentiâ, sine  
 dolore vlllo propter peccata sua, si-  
 ne fide, amplectente promissionem  
 remissionis peccatorum, iusticiæ et  
 vitæ æternæ, comprehensam in his  
 Cœnæ verbis: Quod traditur  
 pro VOBIS, Qui effunditur  
 pro VOBIS in remissio-  
 nem peccatorum: Corpus Chri-  
 sti hoc modo acceptum & mandu-  
 catum, talibus non solum inutile  
 est & inefficax ad renouationē &  
 emendationē vitæ, sed etiam pro-  
 pter abusum hunc est perniciosum,  
 & causa iudicij ac pœnarū tristis-  
 simarum, eò quòd Corpus Domini  
 non dijudicant, id est, Quia Corpus  
 hoc non magnificiunt, nec pro pi-  
 gnore



gnore habent omniū preciosissimo,  
 aut arrabone fidei suae obſignante  
 promiſſionem remiſſionis peccato-  
 rum, nec cum humilitate & reue-  
 rentia ſeria accipiunt, Deniq; quia  
 manducationē hanc non faciunt in  
 recordationem Domini, hoc  
 eſt, Quia ſumpto Corpore Chriſti,  
 ſemetipſos non commonefaciunt  
 aut excitant ad cogitationem cau-  
 ſarum grauiſſimarum, quibus mo-  
 tus atque impuſus Chriſtus, Cor-  
 pus ſuum innocentiſſimum, acer-  
 biſſimis cruciatibus exponere, et in  
 mortem teterrimam abiicere, &  
 Sanguinem ſuum precioſiſſimum  
 largiſſimè profundere dignatus  
 ſit: Quarum cauſarum cogitatio-  
 ne moueri debebant, vt tanto ma-  
 iore magiſq; ſerio dolore deplora-  
 rent & deteſtarentur peccatorum  
 ſuorum

suorum sordes, ardentiore item & firmiore fiducia tanti erga nos amoris & misericordiae DE I<sup>n</sup>CHRISTO IESU exhibitae, accederent, afferentes simul & propositum ac studium ardens inchoandi nouam obedientiam, & vitandi delicta contra conscientiam.

Sed his omnibus spretis & omiſſis, accedunt ad Cœnam, vel propter consuetudinem, vel simulatione sanctitatis, vel vt suspiciones ac rumores de flagitijs suis publicè sparsos, prætextu vsurpatae Cœnae, ex hominum animis eximant, seque hoc modo purgasse ac suspitione omni liberasse videantur: Nullam verò adferunt pœnitentiam, nullum contritionis aut doloris sensum, nullum iræ & iudicij

dicij diuini propter admissa sceles  
 ra, metum, nullam item fiduciam,  
 quærentem aut accipientem serio  
 remissionem peccatorum, nullam  
 deniq;  $\pi\sigma\omicron\upsilon\acute{\iota}\varsigma\sigma\iota\mu$  aut conatum emen  
 dandæ vitæ suæ, & abijciendi flas  
 gitia consueta, sed perseuerant in  
 sordibus pristinis peccatorum con  
 tra conscientiam, spretis mandatis  
 ac prohibitionibus diuinis, spreta  
 ira, iudicio, & pœnis diuinis toti  
 es in Verbo denunciatis.

Tales verè & sine vlla dubi  
 tatione Rei fiunt Corporis et Sana  
 guinis Christi, & iudicium sibi  
 manducant & bibunt, hoc est, cum  
 mulant non solum pœnas corpora  
 les sibi & totis cœtibus, sed etiam  
 accersunt sibi exitium & pœnas  
 æternas, nisi rursus ad Deum, ante  
 tequam

tequam vita hac excedunt, serid  
 conuertantur. Ita que manduca  
 tio illa & sumptio Sacramentalis  
 Corporis & Sanguinis Christi  
 tantundem prodest talibus, quan  
 tum Iudæ proditori prima Domi  
 ni Cæna profuit, aut quantum mi  
 litibus Ethnicis contactus Cor  
 poris Christi profuit, quo flagel  
 latum virgis, & pugnis cæsum  
 Dominicum Corpus ac nudatum  
 tandem, brachijsq; & pedibus ex  
 pansum cruci affixerunt. Qui haud  
 dubie pro indigna illa & contu  
 meliosa tractatione Corporis hu  
 ius sancti & innocentis, iudicium  
 diuinum in pœnis corporalibus sen  
 serunt, Ac nisi concionibus Petri  
 & cæterorum Apostolorum in die  
 Pentecostes, vel postea, ad Deum  
 conuersi sunt, flammis infernali  
 bus

bus in tota æternitate etiamnum  
 cruciantur & cruciabuntur.

Sed obijciet hic aliquis: Cum  
 adfirmemus Corpus Christi etiam  
 ab Indignis & Impœnitentibus  
 iuxta verba institutionis in Cœna  
 hac, verè quidem accipi, Sed in  
 his consolationem, leticiam, aut  
 vitam nullam effici, quia id sine  
 fiducia beneficiorum Christi, man-  
 ducent, cæteros verò addentes  
 Spiritualem manducationem, que  
 fit fide, solos participes fieri omni-  
 um illorum fructuum & utilita-  
 tum, propter quas Cœna instituta  
 est: Videri hinc sequi, efficaciam  
 omnem & operationem accepti  
 Corporis & Sanguinis Christi,  
 pendere à nostra pœnitentia & fi-  
 de, nec posse illud aliter operari,  
 aut

aut efficaciam suam exerere, nisi fide nostra accedente, Quod de uisifico & glorioso Corpore Christi sentire aut loqui, non admodum videatur Christo esse honorificum, nec vero consentaneum.

Huic obiectioni responsionem hanc oppono perspicuam & firmam: Nequaquam hoc sentimus aut dicimus, efficaciam atq; operationem omnem accepti Corporis Christi, à fide nostra pendere, tanquam à causa præcipua, quæ quasi per se non operanti Corpori Christi, efficaciam omnem præbeat & infundat. Diuina enim & omnipotens Virtus nequaquam hominum aut vllarum creaturarum, vel causarum secundarum viribus, voluntatibus & operationibus

bus immutabiliter alligata aut subiecta est: Sed per se ipsa agit, & liberrimè operatur, vbi cunq̄, quancunq̄, quomodocunq̄, et in quibuscunq̄ ipsa voluerit, & metas operationum suarum ipsa constituit, non aliunde sibi præscriptas aut constitutas accipit ac seruat, sed agit, quomodo, quousq̄, quamdiu, quoties, & quantum ipsa pro sua infinita sapientia iudicat conuenire & satis esse.

Sed filius Dei Dominus & Saluator noster IESVS CHRISTVS ordinem hunc liberrima voluntate instituit, & in Ecclesia sua seruare decreuit, quòd per Verbum à se traditum, & per Sacramenta à se instituta, velit efficax esse, & in his, qui ea etate sunt, vt doceri possint, & doctrinam

nam aliquo modo intelligant, consolationem, leticiam, pacem & vitam nouam operari atq; accendere, tunc, cum Verbum DEI audiunt, & Fide amplectuntur, cumq; Sacramentis iuxta institutionem Fide tali utuntur, que beneficia in Verbo promissa, & pignoribus Sacramentorum obsignata, firmiter & constanter accipiat sibiq; applicet.

*Qua de re testimonia sunt perspicua plurima, Roma: primo cap. Euangelium est potentia DEI ad salutem OMNI CRE-  
DENTI.*

*Iohan: 1. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem, Filios Dei fieri, HIS, QVI CREDVNT IN NOMINE eius,*



1. Corinth: 1. Placuit Deo  
per stultitiam prædicationis sal-  
uos facere **CREDEN-**  
**TES.**

Liberrimè ergò sese & omnia  
beneficia sua verbo Euangelij, so-  
nanti in ministerio publico, & Sa-  
cramentis à se institutis, quodam  
modo inclusit & alligauit, atq; in  
his solis sese & thesauros suos uni-  
uersos quærere iussit, addita ve-  
racissima promissione, ibi se præ-  
sentem esse, & à singulis & omni-  
bus inueniri velle. Quare adultos  
omnes & doctrinam intelligen-  
tes mandatis seuerissimis cogit, vt  
verbum Euangelij audiant & ac-  
cipiant, & vt Sacramentis tanq̃  
signis & pignoribus certissimis  
bonorum in Verbo promissorum,  
iuxta institutionem, ad confirman-  
dam

dam fidem suam vtantur, additq̄,  
 vt dictum est, promissionem dul-  
 cissimam, in talibus se et habitatu-  
 rum & efficacem futurum esse, si-  
 cut affirmat Iohan. 14. Si quis  
 diligit me, sermonem meum  
 seruabit, & Pater meus diliget  
 eum, & uenietus ad eum, &  
 mansionem apud eum facies  
 mus.

Ita Verbum & Sacramenta  
 sua Christus orbi vniuerso propo-  
 nit ac commendat, dans Aposto-  
 lis & Doctoribus reliquis manda-  
 ta huiusmodi: Ite, **DOCETE**  
 omnes gentes, baptizantes eos  
 in nomine Patris, Filij & Spiritus  
 Sancti, &c. Et in hac Cœna  
 item, **ACCIPITE, CO-**  
**MEDITE, BIBITE** ex  
 hoc omnes, &c.

Sed vt Verbum auditum & Sacramenta vsurpata, nobis efficacia sint ad salutem, necesse est & fidem, Spiritus sancti auxilio & beneficio accensam atq; excitatam accedere. Hanc enim perspicuè Christus postulat, inquit: Qui CREDIDERIT & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui uerò NON CREDIDERIT, condemnabitur.

Item: Facite hoc in MEI RECORDATIONEM.

Eo enim solo modo & non aliter, vt dictum est, filius Dei agere nobiscum, & in nobis efficax esse, suaq; bona communicare nobiscum decreuit, cum in Verbo & Sacramentis ea vltro ac gratis oblata ac proposita, non repudiamus,

aut furenter abiicimus: Sed fide  
reuerenter expetimus, quærimus,  
apprehendimus, nobisq; applica-  
mus, & conseruare studemus.

Eodem modo & in Cœna hac  
Corpus & Sanguinem suum, ideo  
nobis manducandum & bibendum  
exhibet, vt accipiatur & habeatur  
tanquam pignus certum & in-  
dubitatum, quo fidem nostram ro-  
boremus, certò statuentes, omnia  
illa bona, quæ oblatione & morte  
Corporis innocentis, & effusione  
Sanguinis preciosi semel parta &  
acquisita sunt, non solum alijs, sed  
singulis **NOBIS** certissimè &  
plenissimè donari, quarum posses-  
sione tam possimus nos quoq; quan-  
tumuis immundi & polluti, letari  
& gloriari, quàm sanctissimi qui-  
k 4 que

que eorum acceptione gloriati  
sunt.

Qui ergò in consideratione ta-  
li suarum miseriarum et sordium,  
& in fideli beneficiorum proposi-  
torum apprehensione Corpus Chri-  
sti sumunt & manducant: In his  
Christus Corpore suo certò est ef-  
ficax, & haud dubiè per Spiritum  
sanctum suum veram consolatio-  
nem, leticiam, pacem, dilectionem  
Dei, et alios motus et virtutes Deo  
placentes, operatur & accendit,  
sicut Deus ipse in Esaia testatur  
cap. 66. Quis est locus habitatio-  
nis meæ? Ad quem respic-  
ciam? nisi ad pauperculum &  
contritum spiritu, & tremen-  
tem sermones meos?

Qui verò misérias & peccata  
sua

sua non agnoscunt, nec recreationem  
 aut consolationem animarum  
 suarum in usu Cœnæ huius quæ-  
 runt, Sed ad hanc alijs de causis  
 & cupiditatibus carnalibus, te-  
 merè & securè accedunt: Hi qui-  
 dem, cum sciant ibi Corpus Christi  
 cum visibili Pane distribui, quod  
 quærent, certò accipiunt, Corpus  
 scilicet et Sanguinem Domini no-  
 stri **IESV CHRISTI** iuxta  
 verba ipsius. Sed quoniam Cor-  
 pore illo accepto se non indigere  
 existimant, illud non dijudicant,  
 non magno æstimant: Christus  
 quoq; in ipsis ad salutem & reno-  
 nationem non vult esse efficax, nec  
 consolationem in ipsis vllam ac-  
 cendere, quam tamen promittit &  
 certò præstat his, qui cum sentiant  
 se laborare & oneratos esse tristis-

sima peccatorum mole, ad ipsum  
 blandè inuitantem fiducia pro-  
 missæ opis accedunt, firmiter sta-  
 tuentes, se in Cœna hac, cui filius  
 Dei proprio Verbo suo liberrimè  
 se alligauit, et ad futurum pro-  
 misit, accepto Corpore & Sanguine  
 eius, inuenturos & reportaturus  
 esse in æternum duraturam ani-  
 marum suarum recreationem ac  
 consolationem, Matth. ii.

Nequaquam ergò Fides aut In-  
 credulitas nostra facit, vt Corpus  
 Christi vel efficax vel inefficax  
 sit, Sed proprium ipsius immuta-  
 bile & irrenocabile Verbum &  
 Promissio, quo Verbo ordinem  
 hunc suæ efficacie constituit &  
 sanciuit, seq. ipse quasi obstrinxit,  
 quòd velit tam Verbo, quàm Sa-  
 cramentum

cramentis suis, in his solis ad salutem efficacem esse, qui miseras & pericula sua agnoscentes, auxilium eius quærant, expetant, & fide apprehendant, atque ita opem ipsius præsentem & paratam omnibus, admittant, et beneficia vultu oblata non aspernentur, sed magnifaciant, & reuerenter ac cupide amplectantur, & tueri studeant.

Cum itaque Fides nitatur Verbo et Promissionibus diuinis minime fallentibus, & pignore illo sacrosancto saluberrimo, Corporis & Sanguinis Domini addito ad Verbum, quorum neutrum Christus vult aut solet vnquam negare aut reuocare, aut irritum facere: Hoc Verbo suo & pignore interposito, quasi vinculis constringitur,



tur & captus tenetur Dominus,  
 ut non possit non prestare fidei in-  
 stanter exigenti, quod liberrimè  
 ei in Verbo promisit, & tanto pi-  
 gnore confirmavit. Quare qualem-  
 cunq; præ se ferat vel indignatio-  
 nis vel auersationis speciem, tamen  
 Verbo & Promissionibus datis  
 fides indefinenter insistens, urgere  
 & cogere quasi potest Dominum  
 ad ferendam opem.

Hæc est illa vis, quam patitur  
 regnum cælorum, et hi sunt Brasæ,  
 qui rapiunt illud ad se, qui sicut  
 Discipuli euntes in Emaus, comi-  
 tem suum efficaciter ipsis concio-  
 natum in toto itinere, quem igno-  
 rabant esse Dominum, præ se fe-  
 rentem itineris continuationem,  
 ἡ ἐστὶν ἡ ὁδὸς, hoc est, brachijs &  
 vestibus

Vestibus prehensum trahabant, &  
 raptabant eò vsq, vt cum ipsis ma-  
 neret ingredientibus diuersorium,  
 Lucæ 24. Ita Dominum eundem  
 suo Verbo & pignoribus Sacra-  
 mentorum, constrictum vrgent ad  
 præstanda beneficia promissa.

Talis verè *hirsuta* & violenta  
 raptatrix erat Cananea mulier,  
 Matth. 15. quam cum Christus Ca-  
 niculam nominasset, indignam pa-  
 ne filiorum, ipsa continuo arripi-  
 ens pro vera & confessa hanc tam  
 tristē et probrosam appellationem,  
 Ius Catellorum perpetuū sibi con-  
 cedi postulat, quod in familijs non  
 grauatim eis tribuatur, vt Micis  
 videlicet de mensa Dominorum  
 cadentibus, quæ vel pedibus con-  
 culcentur, vel alioqui frustra pe-  
 reant,

reant, liceat collectis frui. Hac  
 tam sapienti & uiolenta & irre-  
 futabili inuersione verborum suo-  
 rum, constrictus quasi vincitur  
 Christus, sicuti se captum & vin-  
 ctum quasi esse ipse testatur, ex-  
 clamans: O Mulier, magna est  
**FIDES** tua, fiat tibi sicut  
**CREDIDISTI**, Ac si di-  
 ceret: Tenetur à te captiua Virtus  
 mea, victa robore fidei in te lucen-  
 tis, seq̄ in potestatem tuam totam  
 dedit, Nam qui verbis meis ipse  
 me constrinxi & exarmani, cogor  
 præstare et exhibere tuæ fidei, non  
 solum quod petis beneficium, ut fi-  
 lia tua à diabolo exagitante ipsam  
 liberetur, Sed quæcumq̄ alia quo-  
 que, uel spiritualia uel corporalia  
 bona expetis, omnia illa sunt in  
 arbitrio fidei tuæ, auferre potes à  
 me

me, quantum voles opis & beneficiorum meorum.

Eodem modo & Iacob ex Mesopotamia rediens, cum filio Dei Fide luctatur, & Promissionibus ipsius tantisper eum vrget ac cogit, donec nouam ei benedictionem extorqueat.

Ita sciamus violentos rapere regnum Dei, hoc est, eos sine dubio beneficiorum Dei participes fieri, qui fide apprehenso Verbo et Promissionibus diuinis, his sese sustentant & erigunt, nec ab his recedunt, nec se dubitationum aut quarumcunq; tentationum procelis ac fluctibus impetuosus dimoueri ab his patiuntur, sed constanter vrget Verbum, subinde promissiones Deo quasi inculcantes, eumque immota & immutabilis veracitatis,

citatis, bonitatis & omnipotentiae  
suae, assiduitate petitionis commo-  
nes faciunt. Hi, inquam, quodam-  
modo extorquent Deo opem &  
auxilium necessarium.

Et haec cum Deo lucta ac dis-  
micatio, & quasi coactio & com-  
pulsio eius, ut exaudiat, opitule-  
tur, & efficaciam suam exerat,  
cultus est Deo gratissimus & ac-  
ceptissimus. Nam hoc modo, post-  
quam auxilium & liberatio iuxta  
fidei expectationem praestita est,  
fiunt nobis conspectiora & dulciora  
beneficia & virtutes Dei, quae  
sunt veritas, bonitas, ardens  
nostri cura & dilectio, misericor-  
dia, clementia & omnipotentia  
Dei. Crescit & in nobis & fit fir-  
mior ac ardentior fides, spes, di-  
lectio

lectio DEI, gratiarum actio, alacritas in inuocatione & petitione auxilij Dei, constantia in perferenda cruce, & tolerantia in mora ac dilatione liberationis, & aliæ similes virtutes.

Contra verò ubi cor hoc modo non est contristatum & humiliatum, non esuriens et sitiens consolationem, Sed est frigidum, securum, & voluptatibus vel curis alijs oppletum & ebrium, nihili faciens Verbum auditum, & bona spiritualia in Verbo oblata, quorum nullam penuriam aut indigentiam sentit aut curat, Cor, inquam, tale si sit, pignus illud preciosum Corporis Christi cum securitate tali accipiens, tantum ut pretextus sit aliarum cupiditatum, Neq; id discernens, aut ut rem ca-

l                      ram

ram & preciosam magnificiens:  
 In eo etiam Christus nequaquam  
 operari, aut in accendenda Spiritu-  
 tuali consolatione, leticia, vita &  
 salute æterna efficax esse vult.

Fit enim in talibus hominibus  
 idem, quod eueniebat in Nazareth illo tempore, cum Christus in  
 terris adhuc versaretur visibili  
 præsentia. Nam cum passim in  
 Galilæa & Iudæa vagaretur, ac  
 singulis penè vestigijs singula mi-  
 racula, cum maxima hominum ad-  
 miratione & stupore imprimeret,  
 à quibuscunq; auxilium eius fide et  
 spe consequendæ opis implorabatur,  
 aut cum fiducia liberationis vel  
 fimbria saltem vestis tangebatur,  
 aut manuum ipsius impositio petebatur,  
 In hos omnes erat beneficis  
 & in

et in liberandis ac iuuandis talibus  
 operosus & efficax, Ita vt nullum  
 vsquam in eius historia exemplum  
 legatur, vbi quenquam quantum-  
 vis infirma fide accedentem, vel  
 etiam intempestiuè liberationem  
 petentem, à se sine ope dimiserit  
 aut repulerit.

At cum in patriam suam Na-  
 zareth venisset, in qua inde vsq;  
 ab infantia enutritus & educatus  
 fuerat, & omnibus Vrbs incolis  
 propter quotidianos congressus  
 familiariter innotuerat: Propter  
 eam consuetudinem, & noticiam  
 familie ac cognatorum, & conspe-  
 ctum tenuitatis fortune, in qua  
 natum atq; educatum eum memine-  
 rant, à ciuibus suis negligebatur  
 & contemnebatur, sicut hæc ver-  
 ba eorum testantur, Matthæi 13.



Vnde huic sapientia hæc & uirtutes? Nonne hic est Fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria? & fratres eius Iacobus, Ioseph & Simon & Iudas, & Sorores eius, nonne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista?

*Hunc talem ex incredulitate profectum contemptum, ex armanatem quasi hunc beneficium Opitulatorem, & efficaciam eius retundentem ac impediendem quodammodo, deplorat ipse Christus oratione admodum tristi, inquiens: Non est Propheta sine honore, nisi in Patria sua, & in Domino sua. Vbi addit Matthæus, Et non fecit ibi uirtutes multas propter INCREDULITATEM ipsorum. Quod Marcus*

Marcus verbis magis emphaticis  
 effert cap. 6. eandem de Nazare-  
 nis historiam recitans: **NON**  
**POTERAT** ibi uirtutem  
**VLLAM** facere, nisi pau-  
 cos infirmos impositis manibus  
 curauit, Et mirabatur pro-  
 pter **INCREDVLITA-**  
**TEM** eorum.

Non debet ergò nobis mirum  
 videri, etiamsi Christus in Indi-  
 gnis, qui societati Ecclesie veræ  
 permixti sunt, hoc est, in securis,  
 impœnitentibus & hypocritis, &  
 professione sola veræ doctrinæ in-  
 ter cætera viua Christi membra  
 sese venditantibus, in accendenda  
 consolatione, leticia, vita & re-  
 nouatione non est efficax Corpore  
 & Sanguine suo, Verè tamen ab  
 illis Pseudochristianis in Cœna  
 l 3 sumpto

sumpto & manducato, qui sciunt,  
 & profitentur, Non simplicem aut  
 communem Panem & Vinum in  
 hac Cœna distribui & accipi, Sed  
 iuxta verba Christi Cœnam hanc  
 sancientis, dato & accepto Pane  
 & Vino, verè distribui & accipi  
 Corpus & Sanguinem Christi:  
 Siquidem idem Dominus su-  
 per terram visibiliter versans,  
 suam potentiam in curatione  
 morborum, & alijs liberatio-  
 num miraculosarum generibus ex-  
 ercere & ostendere non voluit in  
 ijs & apud eos, qui contemptè de  
 ipso sentiebant, nullam ab ipso  
 opem petebant, nullis se ipsius be-  
 neficijs indigere, nihil boni ipso  
 sum præstare posse putabant, si-  
 cut ex iam dictis testimonijs Mat-  
 thæi & Marci manifestum est.

Quòd

Quòd verò securi illi Pseudo-  
 christiani & hypocritæ Corpus &  
 Sanguinem Christi accipiant,  
 Manifestum est ex verbis Pauli  
 Apostoli, qui de indignè mandu-  
 cantibus eum in modum loquitur,  
 ut tales adfirmet Reos et pœna di-  
 gnos esse, non certè propter abu-  
 sum tantum Panis & Vini, sed  
 propter Corpus & Sanguinem  
 Christi indignè usurpatum, quod  
 quidem verè acceperint, sed non  
 dijudicarint, hoc est, non pro re  
 preciosa ac sacrosancta & pro tali  
 pignore acceperint, quo nihil aut  
 in cœlo aut in terra dari ipsis potu-  
 erit preciosius & nobilius, & ad  
 obfirmationem ac confirmationem  
 fidei ipsorum efficacius, si eam fi-  
 dem adhiberent in seria contritio-  
 ne, qua statuerent omnium se be-  
 nefi-

neficiorum Christi fieri participes,  
 quæ Christus Corporis sui tradi-  
 tione in Mortem & Sanguinis sa-  
 cro sancti profusione miseris no-  
 bis, & iræ Dei & condemnationis  
 æternæ Reis promeruerit, vt su-  
 præ copiosius ostensum est.

Dixi hæctenus de duplici ho-  
 minum genere, qui Cœna hac, sine  
 & effectu dissimili, vtuntur. Pri-  
 mum videlicet de Infirmis in fide,  
 & mole peccatorum oneratis &  
 consternatis Christianis, qui ne-  
 quaquam annumerandi sunt In-  
 dignis illis, de quibus tam duriter  
 Paulus loquitur.

Secundò de Indignis, quos in-  
 telligo eos, qui societati Ecclesiæ  
 veræ admixti, & in professione  
 doctrinæ in præcipuis articulis  
 cum

cum veris membris Ecclesie con-  
 sentientes, viuunt securi et impœ-  
 nitentes, titulo tenus & nomine  
 saltem professionem & pietatem  
 Christianam præ se ferentes. Ac  
 tales vt credamus præcipuè à Pau-  
 lo obiurgari, mouemur ipsis ver-  
 bis Apostoli, qui de Indignis scri-  
 bens eos alloquitur, qui ipsius &  
 aliorum fidelium Christi ministro-  
 rum voce & institutione, ex tene-  
 bris & idolomanijs Ethnicis ere-  
 pti, & ad agnitionem, fidem, &  
 professionem Christi perducti &  
 conuersi fuerant, Quiq; inter cate-  
 ros fidei Christianæ articulos, hunc  
 etiam de præsentis exhibitione &  
 sumptione veri Corporis & San-  
 guinis Christi in sacra eius Cœna,  
 didicerant, & assensu suo compro-  
 bauerant, sicut his ipsis scribit

Paulus : A Domino accepti,  
 quod & tradidi uobis : Sed pre-  
 cioso illo thesauro in multiplicibus  
 confusionibus contumeliosè abute-  
 bantur, Qui abusus non dubium  
 argumentum & indicium erat sea-  
 curitatis & contemptus pignoris  
 illius ingentis et sacrosancti, quod  
 in usu Cœnæ vniuersis & singulis  
 ipsis erat propositum.

Ad cor

merè pro-  
 fani &  
 planè im-  
 pij.

Præter hæc duo, quæ recensui,  
 hominum genera, alij adhuc sunt,  
 qui vel prorsus ignorant, vel sea-  
 mel contemnunt ac derident vni-  
 uersam doctrinam & religionem  
 Christianam, Quales sunt porci  
 Epicurei, qui omnes religiones &  
 doctrinas de Dei essentia, volun-  
 tate, & operibus mirandis, vel in-  
 animis suis tacitè, vel publicè, &  
 ex pro-

ex professo reijciunt, & ceu fabu-  
 las inanes ac commenticias deri-  
 dent, ac pro terriculamentis ina-  
 nibus habent, quibus Vulgus ru-  
 de, & ad superstitiones pronum,  
 & in credendo temerarium ac fa-  
 cile, utcunq̄ coherceatur, ut le-  
 gibus & imperijs politicis tantò  
 facilius domari, & disciplina qua-  
 licunq̄ frenari possit. Aut sunt  
 Eceboli tales, quibus omnes reli-  
 giones eodem in loco & precio  
 sunt, qualescunq̄ hæ fuerint, Qui  
 apud Pontificios doctrinam & ce-  
 remonias Papiſticas observant &  
 propugnant, inter Lutheranos  
 Lutherani haberi volunt, inter  
 Anabaptistas errores Anabapti-  
 sticos profitentur, inter Turcas  
 blasphemias Turcicas, inter Mo-  
 schouios ritus & ceremonias Mo-  
 schouia



*schouicas adprobant, quales multi  
omnibus temporibus reperiuntur,  
qui hac ipsa mutabilitate ostendunt,  
se nullam religionem serio  
agnoscere, aut pro necessaria ac  
salutari habere.*

*Tales docendi causa, vt ab Ecclesie  
membris clarius discernantur,  
nomino prorsus IMPIOS  
seu ἄθεοις, vt qui in nullo articulo  
cum Ecclesie membris consentiant,  
sed vniuersam Ecclesie doctrinam  
pro falsa & conficta habeant,  
& bona illa omnia, quae in  
Verbo & Sacramentis proponuntur,  
vnà cum ipsa doctrina, vel p<sup>a</sup>  
lām, vel tacitè intra sese contemnant  
& derideant. Hinequaquam  
inter Discipulos Christi numerandi  
aut recensendi sunt, nec ad eos  
doctrina & promissiones eius perti-  
nent,*

timent, nec Sacramenta eius talibus instituta sunt. Quapropter Christianis non est magnopere laborandum, aut anxie disputandum, quid tales accipiant, sicubi ita accidat, ut ad sacram Cœnam ipsi quoque accedant. Nam quando agnosci possunt, aut signis manifestis semetipsos produnt, ab usu Cœnæ ceu Canes & Porci arcedendi sunt. Sed cum occultantes suam impietatem numero cæterorum piè Cœna utentium sese immiscent, tam de his dici non potest, quòd Corporis & Sanguinis Christi fiant participes, quàm non potest adfirmari, Brutum aliquod animal, cibi & potus cœlestis fieri particeps, quod de Pane aut Poculo benedicto fortè comedat & bibat, cum omnia quæ à talibus Im-

pijs fiunt, prorsus sint institutioni  
Christi contraria.

Ac ne cui hoc quod dico, nouum  
aut παράδοξον videatur, consideret  
quid Lutherus Tom: 7. in libro de  
Missa priuata disputet, vbi longa  
commemoratione ostendit, valdè  
esse & periculosum & incertum,  
adfirmare, Quòd Sacrificuli Cor-  
pus & Sanguinem Christi in an-  
gularibus seu priuatis Missis habea-  
ant aut tractent. Ac multa eo in  
loco valdè illustria & firma ar-  
gumenta ex institutione Christi  
recitat, quibus non sit difficile de-  
monstrare, eos præter Panem &  
Vinū nihil in illis angularibus suis ha-  
bere aut percipere. Et quanq̃ pro-  
nunciare ipse eo in loco non vult,  
quid illi in priuatis Missis accipia-  
ant:

ont: Tamen tandem his ferè ver-  
 bis illam disputationem concludit:  
 Cum incertum sit, an Corpus  
 & Sanguis Christi in Missa  
 priuata præsens sit, nec nisi fig-  
 mentum humanum uanissi-  
 mum sit tota illa Sacrificuli pri-  
 uata gesticulatio, nullo modo  
 credas Corpus & Sanguinem  
 Christi ibi adesse. Fidem enim  
 certò quid adfirmantem, nisi  
 oportet fundamento firmo &  
 immoto, desumpto ex perspi-  
 cuo Verbo Dei, de quo nulla  
 possit, nec debeat esse dubita-  
 tio. Ego quidem certè non pos-  
 sum certò statuere, aut alijs cer-  
 tum reddere &c.

Quantò iustius & tutius de  
 planè Impijs illis & aduèrsarijs derisori-  
 bus ac subsannatoribus religio-  
 num

num omnium, nos adfirmare possumus, eos Corpus & Sanguinem Christi in sacra Coena non accipere, cum nihil ab ipsis seruetur aut praestetur, quod in ordinatione & institutione huius Sacramenti à Christo sancitum est. Regula enim haec haud dubiè certa, immota, & irrefutabilis est omnibus temporibus: Nihil esse habendum pro Sacramento, uel posse se habere rationem aut uim Sacramenti, extra & praeter usum ab ipso Christo, manifesto & perspicuo uerbo institutum & sancitum. Quae Regula supra exemplis copiosius est declarata.

QVI  
BVS

Cum itaq; Coena haec primum  
Apostolis & horum Discipulis,  
& quidem ad utilitatem & usum  
eorum

eorum assiduum instituta sit, ut  
 in textu de Pane expressè dicitur:  
 Dedit DISCIPVLIS suis  
 dicens, Accipite, comedite,  
 VOS inquam Discipuli & au-  
 ditores mei & vestri &c. Item,  
 Facite hoc, VOS scilicet Disci-  
 puli et auditores mei, & vestri: Isti  
 verò impij & porci Epicurei non  
 sint Discipuli Christi, aut Disci-  
 pulorum eius auditores, qui tradi-  
 tam ab his doctrinam credant, aut  
 verã esse statuunt, Sed sint Christi  
 & Discipulorum eius, siue occulti  
 siue manifesti hostes, abnegatores,  
 derisores, & contumeliosi ac bla-  
 sphemi Contemptores: tam sunt à  
 Cœnæ huius vsu alieni censendi,  
 quàm Brutum aliquod animal ali-  
 enum ab eo existimatur.

Cum item Christus Discipulis suis dicat, Hoc (id est, Panis à me fractus, & post benedictionem exhibitus & acceptus à vobis) est Corpus meum, traditum pro VOBIS in mortem crucis. Quibus verbis à Discipulis & cæteris auditoribus fidem exigat, qua credant se id ipsum verè accipere, quod affirmat se dare, etiamsi id in oculos non intueatur, nec sensu villo comprehendere possit: Isti verò porci Epicurei non credant vllum vnquam fuisse aut esse Christum vel filium Dei, Multò autem minus credant, hunc assumpta carne nostra, Hominem factum esse, Minimè verò omnium credant, eum inter homines præsentem esse, & aliquid cum hominibus agere. Deniq; cum minimè

nimè vel sciant vel credant, etiam si de cæteris cõuincantur, hunc Corpus & Sanguinem suum in Cæna hac manducandum & bibendum exhibere: Certissimum est eos Christum Dominum sua profanitate non solum à Cæna quasi excludere, Sed & ex cælo & throno Maiestatis eius, imò ex sinu æterni Patris, quantum quidem in ipsis & in blasphema incredulitate atq; impietate eorum situm est, deturbare ac deicere.

Deinde cum hæc Cæna potissimum eam ob causam instituta sit, AD QUID?  
 ut fiat ibi recordatio & annuntiatio mortis Christi, Sicut in verbis institutionis dicitur: Hoc facite in mei recordationem. Et Paulus ait: Quotiescunq; Pa-

m 2          nem



nem hunc manducabitis, et Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec ueniet. Isti uero palam impij & porci Epicurei, non solum non recordentur nec annuncient mortem Domini, ita ut crederent, Christum ad impetrandam hominibus remissionem peccatorum mortuum esse. Sed hanc ipsam etiam mortem abnegent, & ut commentum fabulosum, uniuersum hoc, quod de Christi passione, morte, resurrectione & Regno affirmatur, derideant. Multo uero minus statuunt aut credant, se propter mortem hanc remissionem peccatorum suorum habere, & Corpus & Sanguinem Domini pro ipsis traditum & effusum accipere in Cæna sacra posse, ut sit fidei illius credentis remissionis.

missionem peccatorum pignus & obfignatio: Iterum ex his manifestum ac certum est, tales seu <sup>ad DEOS</sup> seu impios prorsus, ab instituto usu Cœnæ longissimè recedere, nec quidquam horum seruare, quæ à Christo sancita aut præcepta sunt.

Quare nequaquam putandum est, in talibus Cœnam hanc Sacramenti rationem vllam habere, sicut ex Regula, paulò antè recitata intelligi potest, quæ adeò est certa, illustris & firma, vt nullis rationibus euerti aut refutari possit.

Et quidem Paulus ipse discernit Indignos, qui sunt in societate veræ Ecclesiæ Christi, & in manducatione indigna huius tam sacrosanctæ Cœnæ iudicium sibi ipsi

manducant, & Rei fiunt Corporis  
 & Sanguinis Domini: ab illis  
 prorsus Impijs, quos appellat  
 MVNDVM, & assignat eis  
 eternam damnationem & abiecti-  
 onem, cum inquit: Cum iudica-  
 mur (scilicet indignè sumentes  
 Corpus Domini) à Domino cor-  
 ripimur, ne cum hoc MVN-  
 DO DAMNEMVR.

Tales & deo in Mundo non iam pri-  
 mum per hanc manducationem in  
 Cœna iudicium diuinum sibi accer-  
 sunt, Sed iam antè cum Principe  
 mundi, cui seruiunt, indicati sunt,  
 Nec fiunt tantum Rei Corporis &  
 Sanguinis Christi, sed iam dudum  
 sunt Rei totius Christi, Dei &  
 Mariæ filij, quem in totum, quan-  
 tus quantus est, cum omnibus eius  
 operibus, doctrina, promissioni-  
 bus,

bus, sanctionibus, Sacramentis, meritis et beneficijs, occultè aut palàm semel negant, abijciunt, derident & blasphemant, pertinentes haud dubiè ad numerũ illorum, de quibus scriptum est: Qui nõ credit Filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Item, Qui non credit, iam iudicatus est, (hoc est, abiectus & condemnatus in tota æternitate.) Quia non credit in nomen unigeniti Filij Dei, Iohan: 3. Item, Qui non credit, condemnabitur, Marci ultimo.

Item, Qui non honorat Filium, non honorat Patrem (Patrem autem non honorans, Deum non habet.) Iohan: 5.

Item, Amen, Amen dico uobis: Nisi manducaueritis car-

nem Filij hominis & Sanguinem eius biberitis (*hoc est, ut ipse paulò antè interpretatus est: Nisi credideritis in me.*) Non habebitis Vitam in uobis manentem, *Iohan. 6.*

*1. Corinth: ult: Qui non diligit Dominum Iesum, sit Anathema Maran Atha.*

*Item Galat: 1. Si quis aliud Euangelium docuerit præter id quod nos docuimus, etiamsi Angelus de coelo fuerit, Anathema sit.*

*Inter tales condemnatos & abiectos diabolorum socios & Titiones Gehennæ destinatos, referantur ac connumerentur prædicti Epicurei & Impij derisores Religionum & Sacramentorum omnium, non immisceantur Indignis*

gnis illis, qui sunt in Ecclesiæ  
societate adiuncti pijs in externa  
professione doctrinæ, de quibus  
Paulus loquitur.

Quòd autem verba Christi:  
Hoc est Corpus meum, aliqui  
eum in modum intelligant, & vio-  
lenter haud dubiè interpretantur,  
vt statuam, semel his in consecra-  
tione Cœnæ recitatis, fieri Panis  
cum Corpore Christi adeò immu-  
tabilem & durabilem vnionem,  
seu copulationem, & quasi adfi-  
xionem, vt quicumque de Pane illo  
benedictò, vt loquuntur, comedat,  
sive Brutū sit, sive homo, Et is seu  
fidelis & membrum Ecclesiæ sit,  
seu prorsus à deo & extra Eccle-  
siam, sive sit blasphemus Iudæus,  
& Mahometicus, sive Christia-  
nus professione: certò simul Cor-

pus Christi præfens cum Pane accipiat ac comedat: Talis interpretatio nullo nititur fundamento solido, ac periculi plenissima est.

Agnosendus est enim & honorandus Filius Dei Dominus noster **IESVS CHRISTVS**, ut persona **INTELLIGENS**, habens sapientiam infinitam & immensam, qui omnium hominum pectora, cogitationes, gemitus, vota & Fidem intueatur, agnoscat & iudicet, qui que ut *καρδιορροισος* & scrutator cordium verissimus & sagacissimus in conspectu omnia habeat. Hoc nobis primum omnium persuasissimum esse debet.

Deinde hoc addendum est, personam hanc sapientia infinita & im-

& immensa præditam, LIBER  
 RIME agere & efficacem esse,  
 & cum HOMINIBVS solis  
 ad salutem et vitam æternam age-  
 re velle, non cum Brutis, & irra-  
 tionalibus, & quidem cum ijs tan-  
 tum hominibus, qui sunt ECCLE-  
 SIÆ SVÆ MEMBRA,  
 & ei cœtui inserti, qui per Ver-  
 bum vocatus est, quiq; Verbum  
 & vocationem hanc sequuntur,  
 quid receperunt & fide amplexi  
 sunt, Et quanquam aliquandiu  
 securitate carnali præoccupati &  
 impediti, eam Verbo obedienti-  
 am & reuerentiam non præstant  
 quam debebant, Tamen filium  
 Dei Dominum nostrum IESVM  
 CHRISTVM, & huius Ver-  
 bum, ministerium & beneficia re-  
 liqua non prorsus abnegant, neq;  
 ea vel



ea vel clàm vel palàm derident,  
blasphemant, aut persequuntur.

His, quando in illa sua securitate & ἀναλυσία Dominica Cœna  
utuntur, quamvis indignè manduca-  
cantibus, tamen ille benignissimus  
Dominus verba instituta à se Cœ-  
næ vult esse rata & firma, ut Pa-  
nis fractus & manducatus sit ipsis  
Corpus suum, quod his Indignis,  
ut tamen membris Ecclesiæ suæ,  
etiam hanc ob causam verè exhibe-  
bet, si fortè inter comedendum &  
bibendum flectantur & mouean-  
tur, ut flagitia sua, quibus ali-  
quandiu sine conuersione & sine  
pœnitentia immersi fuerunt, agnos-  
cant, & seria pœnitentia deplor-  
rent, Et commonefacti verbis illis  
tàm dulcibus & emphaticis de  
Corpore

Corpore PRO IPSIS tradito, & Sanguine PRO IPSIS effuso in remissionem peccatorum, fide qualicunq; vel languida saltem beneficia ipsius amplectantur, his sese consolentur & erigant, & propositura concipiant emendandæ deinceps vitæ, & abstinendi à sceleribus & flagitijs hætenus consuetis. Idque interdum fieri, non dubitemus, ut securi aliqui, & vicijs quasi indurati homines, sine proposito vlllo emendandæ vitæ ad Cœnam accedentes, in ipso vsu Cœnæ commonefiant, & à Spiritu sancto flectantur & accendantur, ut motus novos Contritionis, Fidei & Studium inchoandæ nouæ obedientiæ quomodocunq; sentire incipiant.

Sed cum pectora nimis sunt vel frigore

frigore securitatis indurata &  
 congelata quasi, aut alioqui vo-  
 luptatibus huius vite, vel alijs  
 quibuscunq̄ue causis oppleta & op-  
 pressa, vt verbis tam dulcibus, &  
 Spiritu sancto cupidissimo &  
 promptissimo ad corda innouan-  
 da, flecti ac commoueri se non su-  
 nant, Sed perseuerent in sceleribus  
 contra conscientiam, retinentes  
 propositum peccandi: Tales comē-  
 dunt sibi iudicium, & verè Rei  
 fiunt Corporis & Sanguinis Chri-  
 sti, verissimè eis exhibiti, sed ideo  
 in eis non operantis, quia non ad-  
 dunt Spiritualem manducatio-  
 nem, vt in seria agnitione & des-  
 ploratione suorum peccatorum, fra-  
 de rursus se erigant, & beneficia  
 Christi amplectantur. In talibus  
 enim solis vult Christus Verbo suo  
 & Cora

& Corpore ac Sanguine efficax  
 esse, sicut & Psal: inquit: Bene-  
 placitum est Domino super ti-  
 mentibus eum, & in his qui spe-  
 rant super misericordia eius.  
 Sequuntur igitur castigationes ac  
 pœnæ corporales talem securitatem  
 & impœnitentiam, quibus tanq̃ fi-  
 lios effrenes & immorigeros Deus  
 ad pœnitentiam & emendationem  
 vitæ tales securos reuocat. Quæ  
 ipsæ castigationes cum non profi-  
 ciunt, nec conuersio ac pœnitentia  
 obtineri à talibus potest, peccata  
 Verò & scelera contra conscienci-  
 am contumaciter cumulantur, &  
 simul reatus augetur crebro abusu  
 sacratissimæ Cœnæ, toties indignè  
 & sine vlla emendatione vsurpa-  
 tæ: illas corporales castigationes,  
 tandem sequitur condemnatio &  
 exiti-

exitium æternum, paratum Mundo impio, qui filium Dei cupientem ipsi ad liberationem & salutem æternam prodesse, audire recusat, & contumeliosè repudiatur ac repellit.

Dicimus igitur & credimus, Christum ut sapientissimam personam, & liberrimè agentem cum membris Ecclesiæ suæ, non abiicientibus aut deridentibus aut persequentibus Verbum ipsius, præbere in Cœna etiam Indignis suum Corpus & Sanguinem, quod ex Paulo manifestum est. Sed non propterea cogitandum aut imaginandum est, Christum verbis illis institutionis eo se modo ad Panem alligasse, ut Panis causa, dum eius substantia durat, ita immutabiliter adesse velit, ut siue Brutum  
siue

siue Homo, siue atheus & blasphemus Turca, siue Iudæus, cum Panem comedat, mox Corpus Domini comedisse credi debeat. Nam talia de liberrima illa Persona & omnipotente, & sapientia immensa & infinita eccellente, Domino videlicet nostro IESU CHRISTO, cogitare aut dicere, iniustum est & periculi plenum.

Rursus verò sciendum & credendum est firmissimè, vnionem illam Sacramentalem Corporis Christi & Panis, Sanguinis item preciosi & Vini visibilis, immensa & inenarrabili sapientia, bonitate & misericordia, certo modo, veracibus & efficacibus Christi verbis & promissionibus, & quidem liberrimè ordinatam & institutam

stitutam esse propter DISCI-  
 PULO Sipsius, & horum docia-  
 les ac obsequentes auditores, ut su-  
 præ demonstratum est. Inter quos  
 Christi Discipulos etiamsi tunc  
 quoque in prima Cœna aliqui fue-  
 runt in fide infirmi, qui consola-  
 tionem illam dulcissimam & mul-  
 tiplicem in concionibus Christi pos-  
 tremis omniumque pulcherrimis,  
 & in exhibitione & acceptione  
 Corporis et Sanguinis eius propo-  
 sitam ac traditam, illa ipsa vespere  
 ra propemodum amiserunt, par-  
 tim à Domino diffugientes, par-  
 tim penitus eum abnegantes, par-  
 tim etiam resurrectionem eius to-  
 stibus prædictam, & fide dignis te-  
 stibus nunciatam, non credentes,  
 & pertinaciter negantes &c. Ita-  
 men verbis Christi instituentis  
 Cœnam

Cœnam eatenus crediderunt, ut non dubitarent, se cum Pane & Vino visibiliter exhibito, Corpus & Sanguinem Domini sui certò accipere, etsi quomodo id fieret ac possibile esset, cogitando penetrare ac comprehendere non possent.

Imò cum cœtui illi Discipulorum interfuisse scribatur Iudas quoque Christi proditor, etsi haud dubiè de Pane & Calice Domini co admodum indignè comedit & bibit: Tamen Scriptores veteres reprehendere non possumus, qui adfirmant, tam Iudam, quàm Petrum & reliquos Apostolos, Corpus & Sanguinem Christi accepisse, Quia ut dictum est, Discipulis suis Cœnam hanc distribuit et instituit, & promiscuè sine discrimine omnes

n 2      bibere



bibere ex hoc Calice suo iubet, quem  
 nominat nouum Testamentum.  
 Nam qualiscunq̄ue Iudas fuerit,  
 tamen ab ipso Christo in numerum  
 Apostolorum vocatus & ascitus  
 est, & tantisper honorem Apосто-  
 li ac societatem cum reliquis Do-  
 mino permittente habuit toto illo  
 triennio et amplius, donec sub mo-  
 mentum instantis passionis et mor-  
 tis Domini, semetipsum à societas-  
 te Apostolorum seiunxit, factus  
 socius & dux hostium Christi Do-  
 mini sui, quibus tandem eum nefar-  
 riè & perfidiosè prodidit, De quo  
 & Christus ex Psalmo 41. quere-  
 lam allegat: Nam & Homo pac-  
 cis meæ, in quo speraui, qui edes-  
 bat Panem meum, eleuauit sur-  
 per me calcaneum, seu, superbè  
 me conculcauit.

Quare

Quare credibile est hunc Do-  
 minum adeò benignum, patien-  
 tem & longanimem, Iudæ quam-  
 vis iam hostilia machinanti, in il-  
 la Cœna, non solum Panem & Vi-  
 num, sed ut reliquis omnibus Di-  
 scipulis, etiam Corpus & Sangui-  
 nem suum comedendum ac bibe-  
 dum ultro exhibuisse, quem prius  
 in comitatu suo adeò patienter tu-  
 lit, & cum cæteris Apostolis ad  
 spargendam vocem Euangelij ab-  
 legavit, instructum & ornatum  
 ipsum quoque admirandis illis do-  
 nis et virtute eijciendi dæmonia,  
 sanandi infirmos, & faciendi alia  
 miracula, imò & rei Oeconomicæ  
 administratione, & procuratione  
 pecuniæ communis, præ Apostolis  
 reliquis honoravit, quem tot con-  
 tionum dulcissimarum suarum au-

ditorem, tot etiam miraculorum  
 spectatorem, tot arcanorum collo-  
 quiorum arbitrum esse permisit,  
 cum quo paulò ante mortē Pascha  
 postremum celebrauit, cui perinde  
 vt cæteris Apostolis (attestanti-  
 bus id aliquot Scriptoribus veteri-  
 bus) cum abiectione sui et humilia-  
 tione inenarrabili pedes lauit, om-  
 nia deniq̃ humanitatis, fauoris &  
 beneuolentiæ signa exhibuit, solo il-  
 lo excepto, quòd propositū eius ma-  
 liciosum conceptæ proditionis, in  
 confessu Discipulorum omnium  
 publicè arguit ac reprehendit, non  
 ea de causa, vt odium aut ignomini-  
 am aliquam apud Discipulos reli-  
 quos ei conciliaret, aut semetipsum  
 illa reprehensione vindicaret (si-  
 cut haud dubiè eam indicationem  
 Iudas accepit & intellexit, & odij  
 dia

diabolici acerbitatem maiorem eo ipso aduersus Dominum concepit: ) Sed eo fine, vt à proposito nefario, quod exitij corporalis & æterni causam corpori & animæ ipsius futurum videbat, miserrimum hominem reuocaret, & ad pœnitentiam inuitaret. Illa ergo quæ diximus, omnia, cum Dominus præstiterit benignissimè huic manifesto proditori suo: credere possumus, eundem illum adeò beneficum & clementissimum Dominum, qui non vult mortem peccatorum, sed conuersionem horum, quibus potest modis & rationibus, querit et adiuvat, Iudæ quoq; proditori suo verum suum Corpus & Sanguinem, dato Pane & Vino illo fracto & benedicto, perinde vt Petro, Iohanni & cæteris Dia-

scipulis, qui Cœnæ interfuerunt,  
 dedisse atque exhibuisse mandu-  
 candum & bibendum, vel eam  
 ipsam ob causam, vt donatione il-  
 la munifica tanti pignoris, & the-  
 sauri tam preciosi, corporis scilicet  
 sui innocentis, &, quod in tot mi-  
 raculis Iudas ipse viderat & didi-  
 cerat, efficacissimi, flecteret, ac  
 reuocaret Discipuli ingrati ani-  
 mum, ne scelus nefarium & pro-  
 ditionem perfidiosam, quam ani-  
 mo suo iam conceptam ac decre-  
 tam habebat, perpetrare pergeret,  
 Sed hoc impium propositum ab-  
 iiceret, & in cœtu illo ac societate  
 Apostolorū honestissima perseue-  
 raret, et cum Condiscipulis, passio-  
 nis, mortis, resurrectionis, ascen-  
 sionis ad cœlos, vniuersæ deniq; do-  
 ctrinæ & miraculorum Magistri  
 sui

sui, Testis ac Præco fidelis et constans maneret, consecuturus haud dubiè illius nefarij propositi sui veniam ac remissionem ab illo Domino, qui postea Petro abnegationem turpem & perfidiosam, & Thomæ incredulitatem pertinacem, clementer condonare et ignoscere non est grauatus.

Quòd verò Corpus Christi à proditore Iuda acceptum ac manducatum, ad conuersionem & salutem ipsius non fuit efficax, in culpa fuit cor ipsius nimis & frigidum, & vicijs pluribus induratum, auaricia, inuidia in condiscipulos, odio Magistri sui, à quo in domo Simonis, fremens propter effusum preciosum Vnguentum, fuerat reprehensus, ambitione, metu crucis & similibus.

Ita affectum & incensum Iuda  
 dam etiam Satanus vehementius  
 inflammavit & occæcavit, qui, ut  
 Lucas inquit, post acceptam à  
 Domino buccellam, et coram omni  
 bus factam indicationem proditionis,  
 in eum intrauerat, Propter  
 quam indurationem seu excæcatio  
 nem cordis tam peruersi, Dominus  
 Corporis & Sanguinis sui exhibi  
 tione, per Spiritum suum in Iuda  
 non voluit ad conuersionem & sa  
 lutem eius efficax esse, Quemadmo  
 dum & alibi idem Dominus noluit  
 miraculis potentiam atq; effica  
 ciam suam declarare atq; ostende  
 re, ubi corda hominum increduli  
 tas & contemptus bonitatis, bene  
 ficiorum & potentie ipsius inua  
 serat, & tota occupauerat.

Hucusque de tribus hominum generibus dixi, qui Cœnam Domini vsurpant dissimili euentu: Quorum aliqui in fide Infirmiores ac languidiores sunt, quàm oportebat, Qui tamen non solum verum Corpus & verũ Sanguinem Christi, in vsu huius Cœnæ accipiunt & manducant, accepto, manducato atque hausto Pane & Vino, sed etiam bonorum & beneficiorum Christi sunt participes, etiamsi fides eorum innitens promissioni, & hanc apprehendens, admodum est infirma ac languida. Nam in quibus vel sola fidei initia sunt accensa, in his Christus Verbo & Sacramentis suis certò efficax esse, & dato Spiritu sancto, illa etiam tenuia fidei exordia, exuscitare & prouehere vult & solet.

Alij



Alij verò qui à Paulo Indigni  
 nominantur, membra sunt Eccle-  
 siae Dei, qui per Baptismum ad-  
 ducti ad Christum, doctrinam Eu-  
 angelij didicerunt, & veram esse  
 norunt, Quisque inter cæteros fidei  
 Articulos, de hac etiam Cœna sa-  
 cra ita instituti & edocti sunt, vt  
 credant, in Cœna non tantum Pa-  
 nem & Vinum, sed verum etiam  
 Corpus & Sanguinem Christi di-  
 stribui & exhiberi vescantibus.  
 Hi iuxta verba Christi, Cœnam  
 hanc instituentis, propter unionem  
 Sacramentalem cœlestis cibi &  
 potus, cum elementis seu rebus vi-  
 sibilibus, verè quidem cõsequuntur  
 quod credunt, vt videlicet accepto  
 Pane & Vino, Corpus & San-  
 guinem Christi verè accipiant:  
 Sed fructum nullum salutarem ex  
 thesau

thesauro tanto percipiunt, quem  
 non dijudicant & magnificiunt,  
 vt eius rei causas supra recitavi,  
 donec castigatione diuina et pater-  
 na in ærumnis corporalibus com-  
 monefacti, securitatem atq; indo-  
 lentiam illam carnalem deponant,  
 & peccata sua agnoscere ac deplo-  
 rare incipiant, Ac consolationem  
 Euangelij in verbo & promissio-  
 nibus traditam, expetere ac qua-  
 rere cum desiderio discant, et hanc  
 fidem suam infirmam & languis-  
 dam, sacrosancto pignore Corpo-  
 ris & Sanguinis Christi exusci-  
 tent, confirment & certificent,  
 Vitæ etiam nouitatem inchoent,  
 & serio studio peccata priora fugi-  
 ant ac detestentur.

At cum nec castigationibus pa-  
 ternis flectuntur, nec illa tam mu-  
 nifica

nifica donatione Christi mouentur, qua Indignis ipsis atque Im-  
mundis, Corpus suum & Sanguinem purissimum & saluberrimum  
manducandum & bibendum liberè  
rimè in hac Cœna sua exhibet, quæ  
prodesse eis ad emendationem atq;  
innouationem vitæ debebant &  
poterant: Vt sceleribus contra con-  
scientiam abiectis, aliam vitæ ra-  
tionem seria conuersione inire stu-  
deant, Sed cùm pertinaciter in-  
his cumulandis perseuerant, tum et  
flagitioso abusu cœlestis & sacro-  
sancti pignoris, iram Dei magis  
magisq; irritant & accumulunt,  
non dijudicantes Corpus Domini:  
Tum verò manducant ac bibunt  
tandem sibi ipsi iudicium, hoc est,  
attrahunt sibi non tantum ærum-  
nas & pœnas corporales, sed hac  
ipsa

ipsa securitate, impœnitentia, incredulitate, & perseuerantia in sceleribus contra conscientiam, omnem Dei gratiã & fauorẽ amittunt, quia beneficia filij Dei tantò precio acquisita, & tanta simul benignitate oblata ac promissa, imò et traditum insuper pignus horum beneficiorum tam preciosum, & prorsus cœleste, contempserunt, & abusu ipso toties prophanarunt. Iustè igitur tales tandem cum mundo impio & maledicto in pœnas eternas abijciuntur.

Tertio loco sunt hi, qui vniuersam doctrinam de D E O, de Filio eius, de officio, beneficijs & Sacramentis filij, & alias partes doctrinæ cœlestis, ut fabulosas ac commenticias tacitè secum aut palàm reiiciunt, derident & blasphemant,

mant, qui docendi causa <sup>z</sup>deot, im-  
 pij, et prorsus infideles nominatur,  
 nequaquam inter Indignos immi-  
 scendi, de quibus Paulus loquitur,  
 sed ijs adnumerandi, quos idem A-  
 postolus **MUNDVM** appel-  
 lat, De quibus rectè & piè credi-  
 mus, eos Corpus & Sanguinem  
 Christi nequaquam accipere aut  
 manducare, etiamsi ad Cœnam  
 cum alijs Ecclesiæ ciuibus accu-  
 rant, qui tamen si agnosci possent,  
 arcendi fuerant. Manducant igitur  
 tales sola externa & visibilia  
 elementa, sine vlla sua vtilitate  
 & fructu interiori, vt hostes &  
 blasphemii derisores ac subsanna-  
 tores Dei & filij eius, Cum quibus  
 vicissim Dominus noster **I E-  
 SVS CHRISTVS** nihil  
 vult habere commercij, sese &  
 sacra

sacratissimum suum Corpus & Sanguinem, ipsis ut immundis Canibus et Porcis minimè communicare, cum illis & in illis non habitare, non agere, non efficax esse suo Spiritu, quandoquidem ipse uniuersum Verbum, Sacramenta et beneficia filij Dei aspernantur, & contumeliosè derident.

Est igitur magnopere danda opera, ut, cum de Indignorum manducatione loqui necesse est, eam circumspectionem & cautionem adhibeamus, ne vel in fide Infirmi ac languidi ab usu Cœnæ deterreantur, quasi sint Indigni illi, qui Corporis et Sanguinis Christi Rei à Paulo fieri dicuntur, quique in Cœna saluberrima, iudicium, hoc est, iram Dei, & poenas horri-

horribiles, corporales & æternas,  
 manducando sibi attrahant: Vel  
 planè & deo & profani extra Eccle-  
 siam inter manducatores veri  
 Corporis Christi numerentur, atq;  
 ita filio Dei Domino nostro I E-  
 SV CHRISTO, Personæ  
 omnipotenti, sapientissimæ & li-  
 berrimæ, vel infirmitas tanta tri-  
 buatur, vel ignominia labes hæc  
 aspergatur, quasi post semel pro-  
 lata institutionis verba à Sacer-  
 dote, necesse sit ad eò immutabili et  
 durabili copulatione ipsum Pani  
 alligatum et affixum, vel vt Pon-  
 tificij impiè docuerunt, Speciebus  
 Panis annihilati inclusum esse, vt  
 Corpus ipsius sanctissimum & sa-  
 luberrimum ab omnibus ijs perci-  
 piatur ac manducetur, qui Panem  
 illum in Cæna benedictum percipi-  
 ant,

ant ac manducent, siue Homines  
 Vlli sint, siue Bruta animantia,  
 Vnde horribilis & in filium Dei  
 contumeliosa disputatio agitata  
 est in Scholis papisticis: An Mu-  
 res vel Tineæ comedentes aut ar-  
 rodentes Panem consecratum in  
 Ciborio repositum, Corpus Christi  
 comedisse credi deberent?

Sed sciamus, & reuerenter ac  
 firmiter credamus, quòd hæc cor-  
 diam inspectrix, & sapiens & o-  
 mnipotens persona, Dominus no-  
 ster **IESVS CHRISTVS**,  
 suo Verbo & Sacramentis libera-  
 rimè adsit, & minimè coactè &  
 necessariò, sed sciens & volens  
 agat, & efficax sit in membris suæ  
 Ecclesie, & in cœtu Vocatorum,  
 & se illis communicet, qui illa me-



dia non abijciunt, sed cum aliqua  
assensionis & fidei adhibitione  
vsurpant.

Hinc est, quod & Paulus iu-  
bet, vt vnusquisq; **PROBET**  
seipsum, hoc est, attentè perpen-  
dat, quid ibi agat, quid querat,  
quid accipiat, ne dum indignè ab-  
utitur hoc sacratissimo cibo & po-  
tu, Reus fiat sumpti Corporis &  
Sanguinis Domini, atque iudici-  
um sibi ipse manducet, eò maxi-  
mè, quòd Corpus Domini non  
dijudicat, non pro ingenti Thesau-  
ro accipit, non eo vt Pignore pre-  
ciosissimo fruitur, letatur, & vti-  
tur ad confirmationem fidei sue  
luctantis cum doloribus & sensu  
iræ **DEI**, vt suprà dictum  
est prolixius.

## De quarto Mem-

BR O, AD QUID IN-  
stituta & vsurpanda sit Cœ-  
na Dominica.

AD quid instituta sit sacra Cœ-  
na, docent verba & mandata  
Christi in institutione recitata,  
Domino ipso dicente: FACITE  
HOC (Hoc inquam, quod iussi  
Vos Corpus meum traditum pro  
vobis manducare) IN MEI  
COMMÉMORATIONEM.

Item: Facite hoc (Hoc inquam,  
quod iussi Vos omnes bibere de  
Calice, quem nouum Testamentum  
esse dixi, in meo Sanguine effuso  
pro vobis in remissionem pecca-  
torum) Quotiescunq; biberis-  
tis, IN MEI RECOR-  
datio-

**DATIONEM.** *Quæ verba declarans Paulus inquit: Quoties escūque manducabitis Panem hunc, et Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec ueniat.*

*Est ergò causa institutionis principalis & summa omnium, Quòd voluit Christus Cœnam hanc esse publicam & crebrò repetendam* **SUI RECORDATIONEM** seu arram ac *μνημόσυλον* perpetuum, commonefaciens nos de autore huius Cœnæ, quod intuentes aut cogitantes, has præcipuè res magnas & necessarias in mentem nobis reuocemus:

- I. Quis sit, qui Cœnam hanc instituit.
- II. Quid habeat.
- III. Quos

- III. Quomodo id collocarit atq; impenderit.
- III. Pro quibus tradiderit.
- V. Quid traditione illa acquisierit ac promeruerit.
- VI. Quibus merita eius profint.
- VII. Quomodo certi fiamus de rerum tantarum acquisitione.

**Q**UIS sit Cœnæ huius autor I.  
 ac fundator, sæpè ipsemet  
 testatur, cum Deum conditorem  
 & conseruatorem cœli & terræ,  
 Patrem suum nominat, et vicissim  
 voce de cœlo sonante, Filius nomi-  
 natur dilectus, in quo solo Pater  
 æternus acquiescat & delectetur,  
 qui à Patre missus et egressus, ve-  
 nerit

nerit in hunc mundum, ut essentiam & voluntatem æterni Patris generi humano enarraret & enunciaret, habens legationis suæ & fidei ipsi debitæ testimonium ab illo ipso Patre æterno de cælo serio mandato præcipiente: **HUNC AVDITE.**

**II.** Sed ille idem Dei filius carnem habet, hoc est, naturam humanam veram, constantem animam rationali, carne & sanguine, quam non ab æterno habuit, sicut filius æterni Patris in tota æternitate fuit, Sed à nobis hominibus tempore certo assumpsit, ad hoc videlicet, ut decretum de reparatione, restitutione, & saluatione hominum in sinu Patris factum, exequi ac perficere posset. Cause verò cur Mediatorem & Redemptorem hominum,

minum,

minum, Deum & Hominem esse oportuerit, alio in loco prolixè recitantur. Sed simul tamen in recordatione hac repetendæ, & in eam includendæ sunt.

Qua in cogitatione hoc potissimum diligenter & piè considerandum & expendendum est, Quòd etiamsi Dominus ille ac Saluator hominum, aliud nihil hominũ causa fecisset aut perpeffus fuisset, quàm quòd cum æternus Dei filius esset, tantopere sese humiliavit, & exinanivit, vt carne nostra misera, fragili & mortali sese vestire non dubitarit: Tamen id vnum opus possit nobis esse argumentum ac testimonium summum & certissimum gratiæ & benevolentiæ erga nos inenarrabilis, quam ex

ultante cum leticia, & perpetua gratiarum actione celebrare debeamus. Qua enim re alia honorem maiorem aut excellentiorem miserrimis nobis deferre atq; exhibere Deus potuisset, quàm quòd Filius ipsius unigenitus, carnem nostram assumpsit, factus nobis similis per omnia, absque peccato? Profectò nec in cælo, nec in terrâ testimonium aliud est certius aut euidentiùs diuini erga nos amoris, beneuolentiæ & misericordiæ, imò & iudicij ipsius de nobis admirandi & inenarrabilis, quòd videlicet non solum diligit, sed & magnificiat nos miserrimos, quòd curet ac respiciat nos, quòd familiariter versari nobiscum, imò & necessitudine ac vinculo arctissimo coniunctus nobis esse velit.

Quam

Quantum sibi honorem nobilis  
 quispiam aut alius quicumq; Ciuis  
 loco humili natus, deferri & habe-  
 ri existimat, cum se Imperator aut  
 Princeps eatenus demittit, vt re-  
 lictis arcibus & palatijs suis ma-  
 gnificè extructis & ornatis, do-  
 mum humilem subire atq; inuisere  
 longè inferiorem dignetur, ibique  
 prandium vel cœnam cum ipso te-  
 nuem sumere, non aspèrnatus vi-  
 litatem vasorum, aut apparatus  
 in cibo ac potu tenuitatem, longè  
 imparem magnificentiae, splendo-  
 ri, bonitati, delicijs ac lauticijs,  
 quibus Principes vti constat. Ta-  
 lis inde verè ratiocinari potest,  
 singularem Imperatoris erga se  
 clementiam & gratiam esse, læ-  
 tantis illa cum longè inferiori con-  
 suetudine ac conuersatione, se dili-  
 gi, &



gi, & magnifieri ab eo. Quare & spe bona erigitur ac confirmatur, posse se, cum opus sit, ad Principem confugere, & opem eius, cum fiducia implorare, & quiduis impetrare.

Multò magis mirando modo, et filius Dei ad Nos descendit, assumpta carne nostra, cui sese vnione Personali, inseparabili & imperscrutabili, tam arctè coniungit & vnit, vt in tota eternitate, carnis semel assumptæ, separatio nulla futura sit, nec fieri possit. Incarnatus deinde habitat inter nos, & reptat cum hominibus in his terræ sordibus, fumis, nebulis, & fœtoribus, & cum suis gentilibus colloquitur, vescitur, peregrinatur, tolerans frigus, æstû, famem, sitim lassitudinem, labores, insomnia, & alias

& alias difficultates, non aliter  
 quam cōmilitones ac manipulares  
 fideles in castris communibus sub  
 papilione & tentoriolo eodem de-  
 gentes, & laboribus, exercitijs,  
 periculis iisdem expositi, mutuo  
 sese sufferunt, erudiunt, instru-  
 unt, cohortantur, consolantur, cu-  
 rant, omnia item læta, aduersa, bo-  
 na malaque inter se communia &  
 mutua habent: Ita nobiscum &  
 inter nos Filius Dei habitauit  
 in terra, Quam conuersationis dif-  
 ficilem & vilem rationem breui-  
 bus quidem, sed admodum signifi-  
 cantibus verbis Iohannes expres-  
 sit, inquit: Verbum Caro fa-  
 ctum est, καὶ ἐσθὲν ἡμεῖς ὡς ἡμεῖς, hoc  
 est, habitauit inter nos, tanquam  
 sub scena & tentorio eodem nobi-  
 scum militans. Eam ergo & ne-  
 cessitudo

cessitudinem & arctissimam cum filio Dei Domino nostro IESU CHRISTO copulationem in cogitatione Cœnæ huius considerare mus, & expendamus accuratè, quæ multis de causis consolationem uberrimam in magnis doloribus & paucibus huius vitæ suppeditabit, & immensam læticiam ac admirationem nobis in tota æternitate pariet.

III. Sed ad hanc considerationem, hoc quoque addendum est, quòd carnem illam à nobis assumptam, & diuinæ suæ naturæ inseparabiliter, & quidem vinculo necessitudinis arctissimo unitam ac copulatam, volens, & liberrimè, in mortem & cruciatus acerbissimos tradiderit, eamque lacerari virgis & flagris, & cruci affixam clavis ferreis & lancea

Quomodo  
do Corpus  
& Sanctum  
guinem  
suum  
Christus  
impenderit.

lancea perfodi permiserit, in eadem laceratione Sanguinem suum profundens, cum ipse nihil tale unquam commeritus esset, nec sua causa sufferre ac pati debuisset, ut qui sine peccato conceptus & natus, Patri eterno obedientiam perfectissimam præstiterat, & toti legi DEI integrè conformis erat. Illam ergò Carnem & Corpus suum innocentissimum, liberissima voluntate in mortem tradidit, ut reatus & scelera aliena expiarentur, & iustissima ira DEI placaretur, horribiliter irascentis peccatis, & destruentis ac delentis creaturas omnes peccatis pollutas, nisi per Filium denuò mundatæ sint.

Erant verò debita illa & peccata aliena, **HOMINIS** pro  
 IIII. Pro quibus  
 pria, bus?

pria, qui ad imaginem Dei, à Patre per & propter Filium conditus, ad hoc præcipuè, vt peculium Filij esset, & creaturam Deus haberet æternæ suæ sapientiæ, iustitiæ, innocentie, puritatis & aliorum in ipso bonorum capacem & participem, quæ quidem vberimè in hanc à se conditam creaturam, & imaginem suam effundere, ac communicare subinde largius decreuerat, in qua & tanquam in templo ac domicilio suo habitare, letari & acquiescere in tota æternitate voluerat.

Hic, inquam, Homo tanta arte & sapientia à Deo conditus & ornatus, à diabolo verò seductus & deceptus, vbi violato mandato diuino, peccato sese polluisset, eoque contaminatus, deinceps mor-  
ti, ira

ti, iræ Dei, exitio, condemnatio-  
 ni & pœnis æternis obnoxius fa-  
 ctus esset: Desertus à Deo omnia  
 illa dona admiranda & preciosa,  
 quæ in creatione acceperat, rursus  
 amisit, & in potestatem diaboli  
 venit, oneratus tristissimo male-  
 dicto & condemnatione Legis, &  
 miserijs alijs inenarrabilibus, qui-  
 bus in hac breui & fugaci vita,  
 Variè & horribiliter excruciatu-  
 s, in morte ac dissolutione Corporis  
 huius, in exitium, pœnas, & cru-  
 ciatus æternos & inextinguibiles  
 ruiturus fuerat.

Pro illo autem debito & rea-  
 tu alieno, Dominus ille & Re-  
 demptor, Deus et Homo, non tan-  
 tum Corpus lacerationi & crucia-  
 tibus externis ac mortî ipsi expo-  
 suit: Sed & animam doloribus in-  
 V. Quid ef-  
 fecerit &  
 acq̄uise-  
 rit Cor-  
 poris sui  
 traditio-  
 ne.

effabilibus internis obiecit, in quibus  
 immensam iram Dei aduersus  
 totius mundi peccata effusam in se  
 se sensit ac sustinuit, ut propter hæc  
 peccata & debita aliena, quibus  
 sese ipse onerauerat, ab ipso Deo  
 penitus videretur derelictus, sicut  
 in cruce eiulatu tristissimo exclamans  
 conqueritur: Deus meus,  
 Deus meus, ut quid me dereli-  
 quisti?

Cumq; Persona illa patiens,  
 non sit de communi & vsitata ho-  
 minum conditione aut numero, nec  
 Homo tantum, sed quod ad natu-  
 ræ humanæ conditionem attinet,  
 innocentissima, expers peccato-  
 rum omnium, integerrima, iustis-  
 sima, & perfectissima sanctitate  
 antecellens omnibus Creaturis:  
 Quod vero ad alteram multò excel-  
 lentior

lentiorem naturam attinet, etiam  
 Filius Dei sit, Patri super omnia  
 in cælo & in terra dilectus: Potuit  
 hæc unica persona immensitatem  
 iræ Dei & alias animæ & corpo-  
 ris angustias ac cruciatus sufferre  
 ac sustinere.

Is ergo Sacerdos omnium  
 summus & sanctissimus, cum ma-  
 iestati diuinæ semetipsum inenar-  
 rabili humilitate, exinanitione, &  
 deiectione, inter preces, & clamo-  
 res ardentissimos seipsum victi-  
 mam gratam & acceptam ad re-  
 conciliandos homines offerret, &  
 mactari in Cruce sustineret: per-  
 sonæ tantæ passio, obedientia, hu-  
 miliatio & intercessio, fuit com-  
 pensatio, satisfactio & λύτρον per-  
 fectum & æquivalens, pro omni-  
 bus totius generis humani pecca-  
 tis,



tis, quæ patrata sunt inde vsque à primo homine Adam, & vsque ad finem mundi patrabuntur, vbi peccatum vniuersum in reditu nouissimo Filij Dei tolletur ac destruetur.

Illo itaq; merito & precio propiciationis, ira Dei intolerabilis omnibus creaturis, placata, & genus humanum per hunc Intercessorem & Sacerdotem summum Deo reconciliatum, & expiatum est, adeò, vt per & propter hunc Propiciatorem Deus omnes in ipsum credentes, recepturum se promittat, imputata ipsis Filij & Intercessoris huius obedientia, iusticia & innocentia.

Præterea & maledictum ac condemnatio Legis, mors item & pœnæ æternæ, per eundem Sacerdotem

dotem summum sublatæ sunt. Cum enim credens in Filium, obedientia & iusticia ipsius vestiatur et ornatur, & denuò receptus à Deo, placere ei propter hanc ipsam obedientiam Filij incipiat, ac si prorsus innocens, iustus & absque peccato esset: Necessè est maledictum ac condemnationem Legis, pœnas item æternas à Lege denunciatas, ab hoc iustificato & reconciliato homine, tanquam à iusto & sancto recedere. Etiam si enim propter naturæ depravationem, sordibus peccatorum plurimis adhuc inquinatus sit, tamen ille morbus credenti in hunc Dominum non imputatur, sed per & propter eum remittitur, & tanquam umbraculo iusticia & innocentia eius tegitur.

Nec verò solo munere Sacer-  
 dotali Mediator ac Propiciator  
 ille, propter nos miseros homines  
 perfunctus est, sua nos intercessio-  
 ne et Corporis sui oblatione recon-  
 cilians, iustificans et sanctificans,  
 Sed & gloriosa sua resurrectione  
 ad vitam, ac victoria, secuta il-  
 lam exinanitionem, humiliatio-  
 nem & infirmitatem inenarrabi-  
 lem, hostem generis humani dia-  
 bolum superavit ac exarmavit, &  
 miserrimū genus humanum, quod  
 captivum ab eo tenebatur, libera-  
 vit, & tanquam ex carcere squali-  
 dissimo eductum, & ex tyrannide  
 diaboli ereptum, in gloriam & li-  
 bertatem dulcissimam asseruit,  
 Quem à se liberatum cœtum ipse  
 sua potentia protegit, servat, et bo-  
 nis cœlestibus in hac vita ornat, et  
 à mor-

à morte corporali absorptum, propter reliquias inhaerentis peccati, tandem ad vitam, gloriam & laeticiam eternam se resuscitaturum, & ad societatem regni sui translaturum esse affirmat. Illa omnia tanta bona Sacerdos hic & Rex summus Corporis sui traditione, et Sanguinis effusione, quam Resurrectio letissima cen testimonium infallibile victoriae gloriose consecuta est, promeruit & acquisuit.

Bona verò haectenus commemorata, videlicet remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, iusticia, donatio Spiritus sancti, & haereditas vitae aeternae, parta & acquisita precio tanto, passio- nis, crucis & mortis acerbissimae

VI.

Quibus thesauri hi pro sint, & quomodo accipiantur.

Domini nostri IESU CHRI-

p 4

STI:

STI: nihil nobis prodesse aut profuissent, nisi de his certiores facti atq; edocti fuisset, aut etiam annum doceremur.

Quare ut participes horum efficieremur, hic benignissimus Dominus ministerium Verbi sui in genere humano instituit, & inde usq; ab edita promissione de assumenda natura humana, de futura passione, morte, resurrectione, totaque redemptionis & saluationis nostrae opere, doceri genus humanum curauit, missis ad eam rem continuo ordine, Patriarchis, Prophetis & alijs excellentibus Doctoribus.

Tandem ipse quoq; ut Orator & Concionator omnium primus et summus, qui hoc ipsum de reparatione nostri decretum ex sinu aeterni Pa-

ni Patris protulit, assumpta humana natura, de illis beneficijs suis, quæ passione, morte, & tota obedientia sua, promeriturus erat, clarissimè ac dulcissimè homines docuit, offerens ac denuncians ea omnibus & singulis.

Ac completo opere redemptionis nostræ, Apostolis & horum successoribus & Discipulis mandata dedit, vt euntes in orbem vniuersum, sine discrimine omnibus gentibus ea annunciarent, & suo nomine offerrent, in voce & promissionibus Euangelij, gratis, non promerenda vllis vllorum hominum virtutibus, dignitate aut operibus proprijs, quæ ad compensanda tanta bona nimis sunt sordida, vilia & infirma: Sed SOLA  
 p 5 FIDE,

**FIDE**, hoc est, fiducia gratuita  
donationis accipienda, & sibi ap-  
plicanda.

Imò ut testaretur, ardentissimè se salutem nostram sitire & ex-  
petere, etiam hoc Apostolis & mi-  
nistris suis mandatum dedit, ut  
**COMPELLANT** nos ad  
ipsum venire, ut opem ferri misera-  
rimis nobis sinamus, quæ computa-  
tio fit monstracione primùm misera-  
riarum nostrarum, quas et nascenti-  
tes adferimus, & postea donec via-  
uimus, ipsi cumulamus: Deinde  
periculorum ostensione, et condem-  
nationis æternæ comminatione,  
quam certum est immutabiliter  
opprimere omnes, ad hunc Filium  
non confugientes: Postremò an-  
nunciacione mandati severissimè  
mi, quo omnes homines obli-  
gantur

gantur ac urgentur, ut filium  
 Dei audiant, & ut Mediator-  
 rem & Salvatorem suum agno-  
 scant, & beneficia eius amplectan-  
 tur fide, & conscientia bona tue-  
 antur ac retineant: Addita ad  
 mandatum hac certissima promif-  
 sione, Omnes eos, qui Filium hunc  
 Mediatorem, & beneficia per &  
 propter ipsum oblata in Verbo,  
 FIDE amplectantur, certò sine  
 vlla exceptione aut conditione il-  
 lorum participes fieri. Et quanquã  
 agnoscant & deplorent se horribi-  
 liter peccatorum sordibus fœda-  
 tos & pollutos, & natura filios iræ  
 ac mortis esse, et iustissimè damna-  
 ri posse: Tamen statuunt se pro-  
 pter vnicum hunc Mediatorem &  
 Redemptorem, non propter vlla  
 sua merita, opera aut virtutes,  
 græ



gratis, ex mera & gratuita miseri-  
 cordia consequi remissionem pec-  
 catorum, reconciliari Deo, iustos  
 & acceptos fieri, vestitos iusticia  
 filij Dei, & ab accusatione & ma-  
 ledicto Legis, ab æterna morte &  
 damnatione liberari, & insuper eò  
 dignitatis prouehi, vt non modò  
 solari se possint, quòd Deum nunc  
 placatum habeant, Verum etiam  
 gloriari, quòd eundem illum iam  
 benignum et εὐλόγητον Patrem apa-  
 pellare audeant, à quo propter in-  
 tercessionem & satisfactionem Fi-  
 lij sint recepti in locum & digni-  
 tatem Filiorum, quos in hac vita  
 donato Spiritu sancto, arrabone  
 huius adoptionis, velit docere, re-  
 gere, roborare, sanare & sanctifi-  
 care, & tandem vt hæredes suos  
 & filij cohæredes ad se transferre  
 & cola

et collocare in societatem & vsum  
 omnium suorum bonorum, post-  
 quam vniuerso eo, quod in carne  
 ipsorum originalis peccati conta-  
 gio & diri Serpentis morsu infe-  
 ctum & corruptum fuerat, per  
 mortem Corporis abolito & con-  
 sumpto, omnipotenti voce Filij  
 Dei corporibus renouatis, in vi-  
 tam reuocati, & post vniuersale  
 Iudicium, ad possessionem æterni  
 regni cum vniuersa Ecclesia tra-  
 ducti fuerint.

Etsi igitur bona illa omnia in **VII.**  
 voce Euangelij & ministerio pu- Quomo-  
 blico oblata ac denunciata, certò do certi-  
 eorum **OMNIVM** propria fi- fiamus de  
 unt, qui fide ea accipiunt & sibi donatione  
 applicant, iisque in doloribus serijs tantorum  
 sese erigunt, confirmant & susten- bonorum.  
 tant: Tamen impedimenta ac re-  
 moræ

moræ multiplices singulis obijciun-  
 tur, quibus in magnis & subitis  
 angustijs ac trepidationibus pau-  
 darum mentium adeo languescit,  
 & interdum ad dubitationes hor-  
 ribiles adducitur fides, vt sola &  
 nuda illa voce ac promissione Eu-  
 angelij tanta firmitudine & ala-  
 critate, qua quidem debebat, niti  
 & acquiescere nequeat.

Quare Dominus & Saluator  
 noster Iesus Christus præter insti-  
 tutum vocis Euangelij ministeri-  
 um publicum, & datam clauium  
 potestatem, qua singulis suorum  
 peccatorum remissionem annun-  
 ciare ministri Euangelij loco Dei  
 possunt, plenioris certitudinis cau-  
 sa, & ad consulendum tantæ no-  
 stræ infirmitati, languori & du-  
 bita-

bitationi Fidei, paulò antè mor-  
 tem & discessum suum ex mundo  
 hoc, Sacramentum Cœnæ suæ in-  
 stituit, & in Ecclesia sua perpetuò  
 celebrari publicè præcepit, in quo  
 ad confirmandam fidem infirmam,  
 singulis vescentibus Pane & Vino  
 coràm daretur ac distribueretur  
 verum Corpus & verus Sanguis  
 suus, quo tradito & effuso precium  
 persolutum est pro vniuersis pec-  
 catis generis humani, eamq; Cor-  
 poris & Sanguinis sui exhibitio-  
 nem vult esse pignus et σφραγίς ef-  
 ficacissimam, qua commonefacta  
 & roborata fides certissimè statu-  
 at, omnia illa beneficia Filij, qualia  
 sunt remissio peccatorum, recon-  
 ciliatio cum Deo, donatio Spiri-  
 tus sancti, & vitæ æternæ here-  
 ditas, verissimè donari, quia illa  
 ipsa

ipsa media seu organa in hac Cœna distribuuntur, & accipiuntur à singulis, quorum traditione precium illud persolutum est, & bona prædicta omnia parta atq; acquisita sunt.

Cum autem Corpus illud traditum atque oblatum pro nobis in cruce, ita è conspectu nostro ablatum sit, ne amplius visibiliter inter nos versetur aut habitet, nec sensuum externorum adminiculo percipi possit: exhibet nobis illud suum verum Corpus & Sanguinem, verè quidem & coràm, datis & acceptis elementis visibilibus, Pane & vino, sed modo tamen insensibili & imperscrutabili. Ac propter illam unionem Sacramentalem certissimam, & exhibitionem verissimam, terrena elementa, Corp

ta, Corpus et Sanguinem suum nominat, ut commonefacti hac tam augusta & magnifica elementorum nominatione, statuamus certissimè, nos datis & acceptis terrenis illis & visibilibus rebus, simul manducare & bibere etiam Corpus & Sanguinem Christi traditum & effusum pro nobis, sed nequaquam Carnali aut Physico modo.

Debet ergò Cœna hæc sacrosancta, perpetuò in Ecclesia seruari & celebrari hoc consilio ac fine, ut exuscitetur ac conseruetur in Ecclesia & singulis fidelibus recordatio & memoria Domini nostri IESU CHRISTI, in qua cogitemus de ijs, quæ ordine huc vsque dicta sunt, videlicet:

1. *Quis sit Dominus ille atque author Cœnæ, nempe filius DEI æternus.*
2. *Qui ad testificandam amoris sui erga nos abundantiam, & ad executionem decreti admirandi, in sinu æterni Patris facti, de redemptione ac reparatione generis nostri, naturam humanam assumpsit, Corpus videlicet & animam rationalem.*
3. *Quod Corpus suum à nobis acceptum, in cruciatus & mortem acerbissimam tradiderit, & Sanguinem suum preciosum largissime profuderit:*
4. *Propter nos & propter peccata nostra, quibus ira Dei, morti, condemnationi æternæ, & potestati diabolorum nos ipsos feceramus obnoxios, Spoliati in superi & exuti*

Exuti omnibus bonis cœlestibus,  
factique insuper hostes & inimici  
Dei.

A quibus tamen malis omni-  
bus prædicta traditione Corporis  
sui & effusione Sanguinis preciosi  
(cum qua coniungenda est & per-  
petua eius pro nobis intercessio, &  
obedientia vniuersa) ille clemen-  
tissimus Saluator ac Redemptor  
nos liberauit, parta nobis recon-  
ciliatione cum Deo, remissione  
peccatorum, iusticia, Spiritu san-  
cto, hæreditate vitæ æternæ, &  
integra liberatione & securitate  
ab omnibus nostris hostibus.

5.

Quæ bona acquisita tanto pre-  
cio & conatu, in ministerio vocis  
Euangelij publicè omnibus, &  
priuatim singulis per ministros à

6.



se vocatos & donatos, annunciat  
 & gratis offert, imò, vt dictum  
 est, ad amplectenda ea nos com-  
 pellere ac cogere ministros iubet,  
 addita dulcissima promissione,  
 fore, vt bonorum illorum omnium  
 certò participes fiant omnes, qui-  
 cunq; oblata ea in Verbo fide ap-  
 prehendant, & sua faciant.

7. Vt autem Fides, quæ sepe-  
 merò varijs occasionibus & impe-  
 dimentis turbatur, & languescit,  
 confirmationem habeat certam &  
 illustrem, qua omnes ei cause dubi-  
 tandi de acceptione ac possessio-  
 ne bonorum tantorum præcludan-  
 tur, Dat nobis cum terrenis,  
 & visibilibus elementis, Pane &  
 Vino, idem illud Corpus suum  
 & eundem Sanguinem mandu-  
 candum

candum & bibendum, cuius traditione & oblatione pro peccatis mundi, iræ & iusticiæ diuinæ abundè satisfecit, & totum reparationis ac redemptionis nostræ opus perfecit.

Cumq̄ inter partes recordationis Domini iam recitatas, hæc postrema sit, maximeq̄ necessaria, vt bona illa cœlestia & æterna, parta à Domino nostro IESU CHRISTO precio tanto, Corporis scilicet sui morte, & Sanguinis sacrosancti effusione, & oblata nobis in voce Euangelij, Fide firma & immota acceptemus, nobisque applicemus: Rectè & piè rudes auditores hunc in modum instituuntur, vt cum interrogantur: Ad quid instituta sit Cœna? & ad quid facienda sit

93 Sumptio?

*sumptio? respondeant: institutam  
 & usurpandam esse ad CON-  
 FIRMATIONEM FI-  
 DEI, quæ fit, simul corda accen-  
 dente & exuscitante Spiritu  
 Sancto, qui efficaciam suam per  
 media externa diuinitus sancita  
 & ordinata, videlicet per VER-  
 BVM sonans in ministerio, &  
 per SACRAMENTA exe-  
 rere vult, & in pectoribus accen-  
 dere consolationem, pacem, lucem,  
 leticiam, vitam, dilectionem Dei, et  
 motus alios congruentes legi Dei,  
 & eos ipsos motus paulatim pro-  
 uehere, ac excitare efficacius,  
 quanto crebrius & maiore cum  
 diligentia & attentione Verbum  
 Dei auditur, legitur, cogitatur,  
 & vsus Sacramentorum pie itera-  
 tur.*

Ex quibus omnibus perspicuum fit, proponi in Cœna hac remedium ac medicinam efficacissimam omnibus contritis, malè affectis & anxijs conscientijs, quæ alioqui in veris doloribus, intuentes peccatorum suorum molem ac magnitudinem, & gustum aliquem percipientes immensæ iræ diuinæ & infernalium cruciatuum, prorsus concidere ac deficere animo poterant, nisi confirmarentur & erigerentur. Tales igitur debent ad vocem Euangelij confugere, qua se audiunt ad Pastorem & ἀρχιερωσ animarum fidelissimum & peritissimum Filium Dei ablegari ac deduci, qui non solum beneficia sua omnia, iusticiam, innocentiam, sanctitatem & Vitam suam ipsis offert &

donat in verbo gratis, & sine  
 conditione vlla compensationis,  
 tantum vt fide ea amplectantur,  
 Et quidem iuramento hoc confir-  
 mat, debere ea omnia propria esse  
 omnium & singulorum, qui man-  
 dato & promissioni huic in acci-  
 piendis bonis tantis reuerenter ob-  
 temperent: Verum etiam, vt ple-  
 nior sit & solidior bonorum illo-  
 rum possessio:  $\sigma\phi\phi\alpha\gamma\iota\delta\alpha$  & pignus  
 preciosissimum Corporis & San-  
 guinis sui vescentibus & bibenti-  
 bus de Pane & Vino huius Cœne,  
 superaddit, & ori eorum imponit  
 & infundit, ne qua causa, aut vlla  
 res apud eos sit reliqua tanta,  
 propter quam dubitandum sibi es-  
 se existiment, an ipsis Deus futu-  
 rus sit propicius, an peccata ipso-  
 rum remissurus sit, Quia consolans  
 ri sea

ri sese, & terroribus omnibus animose opponere possunt, Illud se καμύλιον & pignus accepisse, & manducatione hac proprium sibi fecisse, quo non pro suis tantum, sed pro totius mundi peccatis Iusticiæ Dei satisfactum sit. Cum igitur habeant Thesaurum tantum, & certissimam arram clementiæ diuinæ, debent ac possunt non modò Rationem & conscientiam suam accusantem compescere, Verum etiam omnes diabolorum machinationes & tela ignita contemnere & excutere, cum fiducia & leticia acquiescente in Verbi indubitati promissione, & in tantis pignoris perceptione.

Hæc ergo prima & potissima causa est, & finis principalis,

cur Cœna hæc à Christo instituta  
 sit & usurpari debeat, videlicet,  
 Vt Fides infirma et languida in  
 pavidis & conterritis menti-  
 bus, de beneficijs Christi om-  
 nibus, sumptione ueri Cor-  
 poris ac Sanguinis ipsius obsi-  
 gnetur, certificetur ac confir-  
 metur.

## II.

Secundus vsus Cœnæ est, vt  
 hæc acceptio & manducatio Cor-  
 poris Christi, testimonium, com-  
 monefactio, & obsignatio sit fœ-  
 deris illius admirabilissimi, quod  
 Filius Dei nobiscum immensa &  
 inenarrabili bonitate fecit, cum  
 ad redimendos nos massam Car-  
 nis & Sanguinis nostri assumpsit,  
 & diuinæ suæ naturæ in vnionem  
 personæ indissolubilem & insepa-  
 rabilem

rabilem copulauit, Qua assumptione omnibus in se credentibus testatum facit, eosque ceu indubitato pignore confirmat, Quòd sicut massam suam assumptam à nobis, ex morte in vitam gloriosam resuscitauit, eamque adhuc gestat & sustentat, & immortalitate, incorruptibilitate, puritate, gloria & decore eterno ornauit, & in tota eternitate non deponit: ita nos quoque seruare, gestare ac sustentare, & in morte ac sepulchro consumptam carnem peccatricem tandem innouare, & in societatem vitæ, lucis & gloriæ æternæ suæ assumere velit.

Huius te fœderis commonefacit Dominus, idq̄ renouat tecum, quotiescunq̄ ad vsum huius Cœnæ corde fideli accedis, Vbi, vt sæpè iam



pè iam dictum est, Corpus & Sanguinem suum à nobis assumptum, & gloria tanta ornatum, tibi reddidit, & dato Pane & Vino, manducandum ac bibendum tradit, in testimonium & pignus certum, quòd cum ipso vna Caro, vnus Sanguis, et vnum Corpus esse debeas, qui te ceu Surculum aut Palmitem à vna arbore auulsum & defractum, & periturum in tota aeternitate, assumptione tuæ Carnis, & redditione eiusdem carnis iam suæ in Cœna, sibi inserere, & donato simul Spiritu sancto te viuificare, illuminare, regere, roborare, sanare & sanctificare in hac vita, & post mortem corporalem resuscitare velit ad vitam æternam, in qua demum vniuersa ipsius beneficia, regnum, & gloriam æternam.

eternam factō ipso & corā pos-  
 sessurus, & eorum fruitione in to-  
 ta eternitate exultaturus sis.

Eandem ob causam Christus  
 Sanguinem suum, Nouum Tes-  
 tamentum seu fœdus nouum ap-  
 pellat, initum nobiscum per Ver-  
 bum promissionis, in Paradiso  
 statim editæ, & per assumptionem  
 carnis nostræ confirmatum & ob-  
 signatum, quod fœdus, vt dictum  
 est, exhibitione Corporis & San-  
 guinis sui in Cœna renouat tecum,  
 teque toties de eo confirmat & cer-  
 tificat, quoties ad vsum Cœnæ suæ  
 debita cum reuerentia & fide ac-  
 cedis, quam in institutione præci-  
 pit ac requirit.

Hoc igitur fœdus in omnibus  
 tentationibus, periculis & diffi-  
 cultatibus

cultatibus, efficaciter nos consolari  
 & erigere debet ac potest, quoties à  
 Diabolis, Tyrannis, Mundo impio,  
 & Carne nostra corrupta, aut morsibus  
 conscientiae nostrae oppugnamur, & ad  
 desperationem aeternam, quasi prorsus  
 deserti & abiecti à Deo, sollicitamur, Si  
 in talibus omnibus malis & tentationibus,  
 ad Cœnam Domini accurrentes, nobis  
 in mentem reuocemus incarnationem  
 eius, passionem, mortem, resurrectionem,  
 & causas simul perpendamus, cur illa  
 omnia, & pro quibus sustinuerit ac fecerit  
 filius Dei, eiusque beneficia illo Sacrificio  
 parta, in Verbo nobis denunciata, fide  
 amplectamur, & ad corroborationem  
 eius & certificationem conscientiae nostrae,  
 Corpus ipsius ac Sanguinem oblatum de  
 mensa

mensa Domini sumamus, & hac  
 nos deinceps consolatione muniamus  
 ac fulciamus: Conetur sanè  
 terrere me conspectus propriae im-  
 puritatis ac sordium corruptae car-  
 nis meae, audeat me accusare Legis  
 terribilis vox, premant & oppu-  
 gnent me furentius Mundus, Per-  
 secutores, Tyranni, & vniuersa  
 Diabolorum vis cum portis Infer-  
 nalibus: nunquam tamen me post-  
 hac à Deo meo auellere poterunt.  
 Corpore enim & Sanguine Chri-  
 sti accepto, certus & obsignatus  
 sum, habere & gestare Christum  
 carnem & sanguinem meae carni  
 similem, quam suam carnem etiam  
 manducandam mihi praebeuit, sibi  
 que duplici modo me inseruit, vt  
 sim Palmes in ipsum; ceu Vitem  
 veram & viuentem insitus, qui  
 vitæ

Vitæ et spiritus sui cōmunicatione,  
 abunde me confirmabit ac roborabit,  
 ne vel excindar vel euellar unquam,  
 sicut et promisit: **NEMO**  
 rapiet eas ex manibus meis.

Tali consolatione & Paulus  
 exultat, & se ac pios omnes confirmat,  
 exclamans Roma: octauo:  
**QVIS** separabit nos à dilectione  
**DEI**? Tribulatio? An  
 angustia? An fames? An nuditas?  
 An periculum? An persecutio?  
 An gladius &c. Certus sum enim,  
 quòd neque mors, neque uita,  
 neque ulla alia creatura  
 separare nos poterit à dilectione  
 Dei, quæ est in **CHRISTO**  
**IESU** Domino nostro.

## III.

Sicut primus & secundus  
 vsus Cœnæ sacræ præbet nobis  
 ἰσχυρὰ φάρμακον, adhibendum  
 sauciatae conscientiae, & laboran-  
 ti iam præsentè ægritudine cor-  
 di: Ita tertius vsus exhibet προφυ-  
 λακτικὸν remedium, arcens & auer-  
 tens inuasuros aliàs morbos, or-  
 tos ex **SECURITATE**,  
 quæ mox etiam Sanctis in tran-  
 quillitate agentibus obrêpit, pestis  
 verè nocentissima. Nam secum  
 attrahit neglectiōnem Verbi, in-  
 termissionem inuocationis & gra-  
 tiarum actionis, aut saltem restin-  
 guit ardorem fidei in precatōne,  
 inducit obliuionem concepti propo-  
 siti boni, & languescit studium  
 nouæ obedientiæ, & circumspe-  
 ctionem

etionem ac sobriam vigilantiam,  
 cauentem insidias Diaboli, cir-  
 cumeuntis more famelici aut irri-  
 tati Leonis, quærentis quem deuor-  
 ret, Laxat paulatim habenas cu-  
 piditatibus, vnde postea facile est  
 Diabolo inuenienti hanc scopis  
 versam & purgatam domum ocio-  
 sam, assumptis septem nequioribus  
 spiritibus reuerti eò, vnde agrè  
 expulsus fuit, & facere posteriora  
 illius hominis deteriora prioribus,  
 Matth: 12. Quare vel hanc etiam  
 ob causam, Cœna hac sæpè vti de-  
 bemus & possumus, vt memoria  
 & recordatio Domini nostri I E-  
 SV CHRISTI, in nobis sub-  
 inde renouetur, eaque ratione nos-  
 metipsos quasi exuscitemus, vt no-  
 stram miseriam attentius aspiciamus,  
 & de inenarrabili amore Dei  
 erga

erga nos in Christo nobis exhibito  
 cogitemus diligentius, repetentes  
 memoria omnia beneficia, quæ fili-  
 us Dei Dominus noster IESVS  
 CHRISTVS, passione, mor-  
 te & effusione preciosi Sanguinis  
 sui, nobis promeruit & impertit,  
 vt deinde ardentius ei pro his gra-  
 tias agamus, & maiore cum solli-  
 citudine petamus, hanc in nobis fi-  
 dei lucem, & agnitionem Christi,  
 metu amittendorum tantorum bo-  
 norum & beneficiorum eius, aliâq;  
 Spiritus sancti dona augeri ac  
 confirmari, vt per ipsum in nobis  
 timor Dei, fides, dilectio Dei, obe-  
 dientia, patientia in cruce, vigi-  
 lantia aduersus insidias Diaboli,  
 & aliæ virtutes accendantur &  
 crescant.



## IIII.

Præter hos principales & præcipuos fines, sunt & alij pertinentes ad totius Ecclesiæ communitatem, Quòd videlicet Cœna hæc & recordatio Domini nostri IESU CHRISTI, nervus & vinculum esse debet honestorum & publicorum congressuum in locis ad eos destinatis, in quibus à multis gratiæ agantur Deo pro tantis beneficijs, & invocatio, coniunctis omnium precibus pro publicis & privatis periculis, fiat ardentior. Præcipuè verò, vt historia filij Dei Domini nostri IESU CHRISTI rudi & succrescenti ætati subindè repetatur, explicetur & inculcetur. De quibus congressibus publicis dulcissimæ sunt promissiones editæ, confirmantur

firmantes nos, verè adesse in illis  
 filium Dei, & certò preces publi-  
 cas, quæ à multis ad Deum fun-  
 duntur, exaudiri, vt suprâ aliquo-  
 ties dictum est ex Matth: 18. Sic  
 disertè Paulus præcipit, vt in  
 congressibus publicis Cœna hæc  
 celebretur, & non in angulis, sicut  
 Papistæ faciunt, Conuenientis-  
 bus, inquit, uobis in unum. Item:  
 Itaq; Fratres mei, cum cõuenis-  
 tis ad manducandum, alius ali-  
 um expectet, I. Corinth. II. quod  
 mandatum Pauli omnes angula-  
 res Missas & aras priuatas Sacri-  
 ficulorum semel euertit & commi-  
 nuit.

## V.

Præterea vsus Cœnæ huius  
 commonefactio ac vinculum es-  
 se debet dilectionis & concordie  
 r 3 mutue

mutuæ inter Ecclesiæ eiusdem ciues ac socios, cum omnes de mensa ac esca eadem pascantur ac reficiantur, & in Corpus vnum Domini & Redemptoris sui, vt membra diuersa & distincta inserantur. Qua de re prolixè Paulus 1. Corinth. 10. & alibi monet: Vnum Corpus multi sumus, quoniam de uno Pane & Calice omnes participamus.

## VI.

Debet vsus Cœnæ etiam testimonium esse, quo confessionem nostram publicè ostendamus, Et patrem profiteamur, in hunc nos Deum credere, eumque agnoscere, inuocare ac colere, qui Filium vnigenitum missum ad assumendam carnem humanam, fieri voluit victimam  
pro

pro nobis & pro peccatis nostris,  
 cuius Filij morte, à peccato, mor-  
 te & tyrannide diaboli liberati su-  
 mus, per quem Filium & Spiritu  
 sancto donamur, vt is nos illumi-  
 net, regat, viuificet, & sanctificet  
 ad vitam æternam. Hac testifica-  
 tione, & confessione nostra osten-  
 dere debemus, nos ab omnibus alijs  
 agminibus ac sectis, vt à blasphe-  
 mijs & furoribus Ethnicis, Iudai-  
 cis, Mahometicis, Hæreticis, fun-  
 gentibus aliud Numen, præter pa-  
 tefactum in verbo Euangelij, aut  
 pluralitatem Deorum, aut exco-  
 gitantibus alios cultus Dei, prohibi-  
 bitos Verbo diuinitus patefacto,  
 verè animis atque auribus ab-  
 horrere, & alienos esse perpetuò  
 velle.

Ac tantum dictum esto de præ-  
 cipuis

cipuis vsibus, & causis institutæ  
 Cœnæ huius sacrosanctæ & salu-  
 berrimæ, Quibus subiungi debe-  
 bat & commemoratio horribilium  
 Abusuum, qui & à Papistis cum  
 tetra sanctissimæ Cœnæ huius pro-  
 phanatione in Ecclesiam introdu-  
 cti sunt, Et, proh dolor, in nostris  
 quoque Ecclesijs grassantur in ma-  
 xima prophanorum hominum mul-  
 titudine, qui titulotenus tantum  
 nomen Christianorum gerunt ac  
 profitentur, nec nisi cum ingenti  
 damno ac malo suo Cœna hac abu-  
 tuntur. Sed quia suprâ de abusi-  
 bus illis nonnihil est dictum, & de  
 ijsdem in alijs harum Ecclesia-  
 rum scriptis prolixè tractatur, pijs  
 Lectoribus hæc in præsentia  
 sufficiant.

633  
 CONCLUSIO.

EXPOSVI haftenus, vt potui, quæ sit de sacrosancta Cœna, & Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nostri IESV CHRISTI sententia, fides & confessio nostra. Ac primum omnium tanquam fundamenti loco præcipuum totius controuersie neruum confirmare volui, Quòd videlicet in disputatione de articulis et negocijs Fidei, non secundum rationem nostram aut huius Lumen naturale, Sed secundum Verbum Dei iudicandū ac pronunciantum sit, simulq; ostendi, periculosissimum esse, a manifesto & perspicuo verbo Dei discedere, Quod attestantur exempla primorum Parentum Eue, Adæ, Cain, & aliorum similium.

Postea de substantia Cœne  
 Domini dicere institui: Quid vi-  
 delicet in Cœna hac quærendum,  
 expectandum & accipiendum sit.  
 Qua in parte explicare nos oportuit,  
 Quomodo hæc in institutione  
 Verba, Hoc est Corpus meum  
 &c. intelligenda sint. Quæ ver-  
 ba Papiſtæ nimis rigidè ac duri-  
 ter iuxta literam interpretantur,  
 De conuerſione nimirum, annihila-  
 tione & amiſſione ſubſtantie  
 Panis, nec in Cœna aliud quàm  
 verum Corpus & verum Sangui-  
 nem Chriſti adesse & exhiberi, &  
 nuda tantum Panis & Vini acci-  
 dentia, magnitudinem ſcilicet, ſi-  
 guram, colorem, odorem, ſapo-  
 rem, &c. nullum autem Panem  
 aut Vinum ſuperesse, manducari et  
 bibi à ſumentibus. Quam conuer-  
 ſionem

sionem & immutationem Panis,  
 Transsubstantiationem nomina-  
 runt, & huic tanquam fundamen-  
 to omnes regni Pontificij abomi-  
 nationes superstruxerunt.

### CARLOSTADIVS

verò & ZVINGLIVS ver-  
 ba hæc figuratè pronuntiata, &  
 per figuram intelligenda & enar-  
 randa esse contenderunt, Ne vi-  
 delicet diceretur, Panem Corpus  
 Christi esse, aut vt Paulus loqui-  
 tur, Panem esse communicationem  
 coràm exhibiti Corporis Christi,  
 Sed esse Corporis Christi absentis  
 & in Cælo sedentis signum seu  
 Symbolum. Quam nimis largam  
 & à verbis nimium recedentem  
 interpretationem, vt probabilem  
 reddant, multis rationibus sese tu-  
 entur,



entur, quarum aliquas breuissimè  
 vt potui, refutare studui, Simul  
 fassus, eos, qui fundamentum initio  
 Scripti huius expositum firmiter  
 non amplectantur, neque ad id sub-  
 indè recurrant ac respiciant, sed  
 Rationis suæ ductum tantum. se-  
 quatur, his refutationibus nostris  
 non contentos fore, Quibus tamen  
 non grauatim acquieturos confi-  
 dam, eos, qui Verbi diuini auto-  
 ritatem Rationis suæ luci antese-  
 runt.

Deinde sententiam ac confes-  
 sionem harum Ecclesiarum simpli-  
 cissimè recitavi, Quòd videlicet  
 Verba institutionis intelligamus  
 & enarremus iuxta interpretatio-  
 nem Pauli Apostoli, et credamus,  
 in Cæna hac dato & accepto Pa-  
 ne & Vino, simul & substantia-  
 le ac

le ac præsens Corpus Christi, exhiberi & accipi à vescentibus, idque verissimè, sed sub Mystério admitando, quod penitus exhaurire aut perscrutari, nec possimus, nec debeamus. Simul etiam huius sententiæ nostræ fundamenta & rationes aliquot exposui, quibus mouemur ac conuincimur, ut in hac asseueratione persistamus.

Secundo loco ostensum est discrimen duplicis manducationis Carnis Christi, & dictum est, Spiritualem eam esse, qua totum Christum cum omnibus suis beneficijs & bonis, quæ in carne & morte Corporis sui, & effusione Sanguinis sui preciosi promeruit, fide firma & immota apprehendimus, & nobis applicamus. Sacramentalem  
verò

Verò Corporis Christi manduca-  
 tionem & Sanguinis sumptionem  
 fieri, dato & accepto intra os Pa-  
 ne & Vino huic Coenae destinato,  
 eiusq; certitudinem ac veracitatem  
 pendere ostendi à veracibus & ef-  
 ficacibus Christi verbis, & ab uni-  
 one Sacramentali cibi illius &  
 potus caelestis cum Pane & Vino.  
 Ad quam tamen Sacramentalem  
 manducationem necesse est et Spi-  
 ritualem accedere, sine qua illa al-  
 tera, nec efficax, nec salutaris, sed  
 noxia sit vescentibus.

Tertiò dictum est de dissimilibus  
 manducatoribus Corporis et San-  
 guinis Christi, pro vt sumētes sunt  
 vel membra Ecclesiae, vel hostes ac  
 derisores vniuersae doctrinae caele-  
 stis. Qua in parte Infirmi in Fide  
 de dia

de distinguendi fuerunt ab ijs, de quibus Paulus inquit: Quod manducantes aut bibentes indignè, iudicium sibi manducant ac bibant, & Rei fiant Corporis & Sanguinis Christi. Simule etiam ostensum est, Indignos nihilominus Corpus Christi accipere, sine vlla tamen sua vtilitate & renouatione, imò cum ingenti suo malo ac damno.

Postremò præcipuos etiam vsus et fines recensui, quorum causa Cæna hæc instituta, & sæpe vsurpanda est.

Hanc nostram Confessionem & sententiam expetitam à nobis multorum piorum & verè Deum timentium flagitatione & precibus, compulsus ac coactus quodam modo

modo in lucem edidi, Non ea de  
 causa, quòd vel certaminibus non  
 necessarijs delectarer, vel quòd  
 aliquid consilij aut opis ad sanan-  
 dam hanc horribilem dissensionem  
 qualicunq̄ue hoc studio me allatu-  
 rum Ecclesiæ sperarem aut confi-  
 derem ( Id enim in tristi hac &  
 prob. dolor, nimis iam inueterata  
 animorum ac partium vtrinque  
 dimicantium exacerbatione spe-  
 rari, aut effici ab hominibus non  
 posse, planè mihi persuadeo ) sed  
 vt gratificarer piorum aliquorum  
 assiduis obtestationibus, ex diuer-  
 sis locis querelas suas apud me de-  
 ponentium, quibus deplorabant ho-  
 rum temporum tristia certami-  
 na, cum de alijs controuersijs mo-  
 ta, tum imprimis de hoc Articulo  
 variè & magna cum animorum  
 vehe-

Vehementia & acerbitate agita-  
 ta. Ex quibus sanè, quod cum do-  
 lore experimur, hoc consecutum  
 est, vt plurimi infirmi & non sa-  
 tis instituti homines, in dubitatio-  
 nem eam adducti sint, vt quid de  
 Cœna sacrosancta statuendum  
 sit, secum constituere non possint:  
 Multi in tantam incertitudinem  
 & fluctuationem illa disputatio-  
 num perplexitate inciderunt, vt  
 ad Sacramenti huius vsu ac per-  
 ceptionem accedere non audeant,  
 Eaque dubitatione semel occupa-  
 ti, ac impediti, cum ingenti suo  
 periculo & incommodo ab vsu  
 Cœnæ longo tempore abstineant:  
 Quod quidem Spiritus vaferris-  
 mus & nequissimus Diabolus  
 sine vlla dubitatione principali-  
 ter illo dissidiorum ac certami-  
 s num

num tumultu quærit, ac perficere conatur.

Nam quemadmodum in Regno Pontificio Thesaurum illum preciosissimum abominatione multiplici & Idolatria horribiliter contaminauit ac prophanauit, donec tandem ablata altera parte mutilam Cœnam fecit, & eam ipsam talem, in tetros abusus conuertit, Misera verò plebecula, & Laicis etiam formidabilem effecit: Ita postquam abominationes illas à viro Reuerendo & immortalis memoria dignissimo Domino D. Martino Luthero detestatas & refutatas esse videt, & Dei beneficio ex Ecclesijs harum regionum proturbatas cernit, verus futissimus hostis, vastator ac conturbator omnium operum, & ordinatio

dinationum salutarium Filij Dei,  
 aliam sibi rationem ineundam pu-  
 tavit, qua vel falsa Verborum  
 Christi interpretatione præsentia-  
 am Corporis & Sanguinis Christi  
 ex integra Cæna tolleret, eoque  
 modo vel extenuationem & con-  
 temptū Testamenti huius saluber-  
 rimi animis prophanæ multitudi-  
 nis, præsertim verò teneræ ætati  
 instillaret: Vel certè tot dispu-  
 tationum Labirynthis, tanta scri-  
 ptorum maledicentia, & tanta  
 Doctorum inter se dimicantium  
 acerbitate, Sacramentum Corporis  
 & Sanguinis Christi, multis non  
 malis hominibus adeò suspectum  
 & formidabile redderet, vt pro-  
 pter incertitudinem ac dubitatio-  
 nes ad vsum eius cum fiducia ali-  
 qua aut spe cōsolationis adipiscen-



de accedere vel non velint, vel non audeant.

Tot ergò incommodis grauissimis, cum omnes Verbi ministros coniunctis viribus occurrere deceat, vt ego quoque pro infirmitate mea testatum facerem, cupere me sanam doctrinam de Cæna Domini in his Ecclesijs piè conseruari, & incorruptam propagari ad posteritatem, permisi hoc tenue ac rude Scriptum typis enulgari, ac veris gemitibus æternum DEI filium Dominum nostrum IESVM CHRISTVM oro, vt benedictione sua studium hoc & laborem meum fortunet, ne quis eo offendatur aut conturbetur, sed vt infantile scriptũ quàm plurimis ad consolationem, confirmat

firmationem & ædificationem seruiat ac conducat.

Simul autem & Pastores ac Ministros omnes, quibus gubernatio Ecclesiarum in ditio[n]e Illustrissimi Principis ac Domini, Domini AVGVSTI Saxonie Ducis etc. Electoris etc. commendata est, & pios cœtus auditorum reuerenter hortor & oro, vt in hac simplici sententia & doctrina de Sacramento Corporis & Sanguinis Christi, quam ex libellis Catecheticis hæctenus didicerunt & docuerunt, constanter perseuerent, Quæ non à nobis recens excogitata aut inuenta est, Sed quæ inde vsque ab initio repurgationis, qua immensa & inenarrabili bonitate Dei per Reuerendum Virû, memoria immortalis dignis-

Simum D. D. Martinum Luthera-  
 rum, in Ecclesia & Schola Vite-  
 bergensi vox Euangelij incorru-  
 pta doceri, & Idola atque abusus  
 Pontificij taxari & aboleri cepe-  
 runt, tradita, audita & recepta  
 fuit ab vniuersis Illustrissimi  
 Principis Electoris Saxonie  
 Ducis etc. Ecclesijs, et Scholis lau-  
 datissimis, Quæque in tot Imperij  
 conuentibus, colloquijs & con-  
 gressibus alijs Theologorum, &  
 aliorum piorum vmanimiter &  
 constanter iudicata est certa &  
 consentanea esse institutioni Do-  
 mini nostri IESV CHRISTI:  
 Quæ item in conuentu Augusta-  
 no, Anni 1530. inuictissimo Ro-  
 manorum Imperatori Carolo V.  
 & toti Imperio, ab Illustrissimis  
 Principibus & Ducibus, Electo-  
 re Saxo-

re Saxonie, Marchione Brandeburgensi Georgio, Landgrauio Duce Hassiaco, Duce Luneburgensi, Principe Ascanio & alijs, & à duabus laudatissimis ciuitatibus, Noribergensi & Reuthlingensi, in confessione publica, cum periculo vitæ, corporum, rerum, regionum, & subditorum omnium exhibita, & huc vsq; publicè tradita & conseruata est.

Præcipuè verò eos hortor & oro, ne splendidis illis, & mirificè blandientibus Rationi argumentis, eò se adduci patiantur, vt magnificam illam cōsolationem, quam præsentia veri & inuisibilis Corporis Christi anxijis ac pauesactis mentibus suppeditat, abijciant aut eripi sibi sinant, incertis illis &

§ 4      infirmis

infirmis glossematibus, quorum ini-  
 tium vnde ortum sit & qua occa-  
 sione tantum ex odio D. Martini  
 Lutheri ad impediendum cursum  
 Euangelij potenter tunc progred-  
 ientis, cum inenarrabili detri-  
 mento & damno Ecclesiarum o-  
 mnium, haud dubiè singulari dia-  
 boli vafricie publicè sparsum &  
 defensum sit, cum eius temporis  
 historia multis adhuc fide dignis  
 Viris, Vitebergæ & in vicinia to-  
 ta habitantibus, optimè nota sit,  
 etsi verè narrari plurima possent:  
 tamen quia iustum & æquum est,  
 Mortuis parcere, nolo de eo plura  
 hoc loco commemorare.

Hoc tantum pium Lectorem  
 moneo, vt tamen originem pri-  
 mam huius nouæ interpretationis  
 Verbo<sup>a</sup>

Verborum Christi, & illius occa-  
 sionem ac causas, mores item ac  
 vniuersam vitam authoris inqui-  
 rat, vnde satis superque deprehen-  
 det, ex quo Spiritu, Zelo ac pie-  
 tatis studio concinna illa et Ratio-  
 ni blandiens interpretatio Verbo-  
 rum Christi primum enata ac vul-  
 gata sit, Quae occasionem postea  
 alijs præbuit, vt cum viderent pri-  
 mò excogitatam Glossam nimis  
 esse friuolam, & inuolidam, &  
 magnitudini tantæ causæ impa-  
 rem, alias quærerent magis plausi-  
 biles, & vt existimantur, firmio-  
 res, quibus Corpus Domini nostri  
**IESV CHRISTI** certo  
 cœli loco tanquam carceri alliga-  
 tum, à Cœna sacra excludere-  
 tur.

Nos Dei beneficio fundamen-

tum habemus firmum, solidum & immotum, quod non exstructum est ex cæcæ Rationis regulis, quas Principia seu Maximas Philosophia nominat, suo quidem loco & vsum necessarium & laudem certitudinis iustissimam habentes: Sed in negocijs ac causis Fidei instar glaciei aut niuium congelatarum, ad radiorum solarium calorem colliquescentes & euanescentes.

Nitimur enim præcipuè verbis indubiè veris filij Dei Domini nostri **I E S U C H R I S T I**, per quem scimus cælum, terram, et omnia quæ in his continentur, ipsam etiam Hominis Rationem cum vniuersa sua luce & principis creatam esse, cuius dicta adeò scimus esse efficacia, vt ipso dicente,

cente, mortui reuiuiscant, cæci  
 nati videant, leprosi mundentur,  
 maris commoti fluctus & venti  
 furentes sopiantur. Quo benediz  
 cente, & frangente quinq; panes,  
 qui alio distribuente, vix decem,  
 aut ad summum viginti homines  
 fuerant saturaturi, quinq; milibus  
 virorum non solum sufficiunt, sed  
 etiam ex reliquijs complent Cophi-  
 nos duodecim, ita vt post confes-  
 sam saturitatem tantæ multitudi-  
 nis, plus fuerit reliquum panis,  
 quàm initio Apostoli Christo obtu-  
 lerant.

Hic in consilium adhibita Ra-  
 tio humana, quémnam numeratio-  
 nis, mensurarum, proportionum,  
 principiorum, & regularum sua-  
 rum vsum ostendere, aut quid fa-  
 cere aliud potuisset, quàm confun-  
 di, ob-



di, obstupescere, & obmutescere  
 conspectu & admiratione horum  
 inusitatorum, & omnem humanæ  
 sapientiæ captum superantium ope-  
 rum?

Sed præterquam quòd effica-  
 ciam tantã verba Christi habent,  
 ea etiam constantia sunt & immu-  
 tabilitate, vt cælum & terram ci-  
 tius transire ac collabi oporteat,  
 quàm vt vllum ex his seriò dictum  
 aut prolatum, falsum aut irritum  
 videri debeat.

Super illo ergo fundamento  
 ac rupe, & hanc Confessionem de  
 vera et substantiali præsentia Do-  
 mini nostri I E S U C H R I-  
 S T I collocatam extruxi, secutus  
 vestigia Apostolorum, & puris-  
 simorum veteris Ecclesiæ Docto-  
 rum, & dilectorum Præceptorum  
 ac

ac Patrum nostrorum, piæ ac sanctæ recordationis, qui non obscura testimonia habuerunt efficacis in ipsis Spiritus sancti, D. Martini Lutheri, D. Philippi Melanthonis, D. Iohannis Bugenhagij Pomerani, et cæterorum, quorum extant verbis Christi & Apostolorum congruentes de Cœna Domini scriptæ Confessiones, Quibus verbis veracis & omnipotentis Domini, tutò & meritò confidimus, præsertim cum Talis Orator illa protulerit paulò ante mortem suam in institutione eiusmodi Sacramenti, quod omnium beneficiorum suorum σφραγίδα & pignus certissimum & preciosissimum esse voluit, Et testimonium perpetuum arctissimi illius & admirabilissimi fœderis, quod in assumptione

ptione naturæ nostræ nobiscum  
 fecit: quod ipsum etiam commo-  
 nefactionem esse voluit consocia-  
 tionis arctissimæ, qua miserimos  
 nos, & morti destinatam carnem  
 & corpora nostra, glorioso & im-  
 mortali corpori suo inserit & im-  
 plantat: Denique quod neruum  
 & vinculum publicorum & hones-  
 torum in Ecclesia congressuum:  
 Quod Symbolum mutuae dilectio-  
 nis commune & publicum suorum  
 civium & membrorum, Et testi-  
 monium confessionis esse voluit,  
 qua se ab omnibus alijs agminibus  
 ac sectis seiungerent.

Hæc, inquam, verba tempore  
 illo postremo, inter angustiam &  
 trepidationem summam, in insti-  
 tutione Sacramenti tam necessa-  
 rij,

ri, & tam multipliciter profutu-  
 ri, & duraturi ad finem vsq; mun-  
 di, à veraci illo, omnipotente, sa-  
 piente & fideli Domino Magistro  
 & Fratre nostro CHRISTO  
 IESU pronunciata, libentissimè  
 ac cupidissimè, vt decet, recipi-  
 mus & intelligimus, sicut sonant,  
 & quidem eo ipso sensu & intelle-  
 ctu, quo Apostoli, & inprimis  
 Paulus, ea receperunt ac declara-  
 runt.

Nec à simplici intellectu eo-  
 rum ulla interpretatione peregrina  
 abducimur, Multò minus ex-  
 torqueri ea aut eripi nobis pati-  
 mur, obiectionibus de Impossibili-  
 tate, aut alijs quibuscunq; ab-  
 surdis, Sed Discipulos nos profi-  
 temur huius vnius Domini, qui se  
 solum

solum Magistrum ac Praeceptor  
 rem agnoscere iubet, & reuerentia,  
 fide, & obedientia ea, qua par est,  
 omnia illa amplectimur quae loqui-  
 tur, & acceptari ac credi iubet.  
 Quemadmodum pueruli parenti-  
 bus suis eam obedientiam & reue-  
 rentiam debent, ut mandata ipso-  
 rum seria esse statuunt, ijsq; cre-  
 dant & reuerenter obtemperent,  
 nec ulli parentes sine offensione &  
 indignatione graui ferunt, à libe-  
 ris mandata sua serijs verbis enun-  
 ciata, interpretationum lusibus &  
 licentia deprauari, immutari, aut  
 figurarum praesidio inuerti: Ita  
 nos verè infantes filio Dei Domi-  
 no nostro **IESV CHRISTO**  
 obedientiam & reuerentiam si-  
 milem debere agnoscimus, & in  
 verbis eius cum debita signifi-  
 catione

catione subiectionis meritò acquiescimus.

*Qua* de causa etiam omnes eos reuerenter moneo, qui hoc tempore sententiam illam Rationi gratam, et blandientem humanis imaginationibus, anteferunt Confessione harum Ecclesiarum, & doctrinae de Cena Domini, quae à Luthero & Philippo, & alijs fidelibus Ecclesiae Doctoribus, huc vsque publicè tradita & defensa est, & ut socios in agnitione & celebratione eiusdem Domini nostri IESU CHRISTI, & in alijs praecipuis doctrinae caelestis articulis nobiscum consentientes, amanter & officiosè per gloriam DEI & Saluatoris nostri IESU CHRISTI, quem unà nobiscum ut verum Dei &

t      Mariae

Mariæ filium, sedentem ac regnan-  
 tem ad dexteram æterni Patris,  
 & omnia in omnibus adimplen-  
 tem, inuocant & colunt, oro & ob-  
 testor, Primum, vt ingentia peri-  
 cula & inæstimabilia damna per-  
 pendentem, quæ ex hac distractione  
 sententiarum de intellectu verbo-  
 rum Christi hætenus emerferunt,  
 & emergent deinceps, nisi aliqua  
 (quam benignissimus Deus cle-  
 menter adiuuet) facta fuerit tem-  
 pestiuè inter docentes in Ecclesia  
 consensio: operam ipsi quoq; dent,  
 vt pia talis concordia & con-  
 sentanea verbis Christi rectè in-  
 tellectis aliquando constituatur.  
 Deinde, vt ad hanc res deduci  
 facilius possit, attentè cogitent,  
 quanto cum periculo in Articulis  
 fidei & sanctionibus Sacramento-  
 rum

rum discedatur à natiua verborum Scripturæ significatione, & reputent secum accuratè, immensum discrimen esse sapientiæ diuinæ, infinitæ et incomprehensibilis, Sacramentum hoc verbis talibus ordinantis: Et Rationis ac sapientiæ nostræ, finitæ & adeò obscuratæ, vt in rebus diuinis nihil minus, quàm sapientiæ nomen mereatur, imò planè desipiat, quando verba Christi ad suæ lucis seu opinionis cæcæ & incertæ normam examinare, & interpretando immutare audet, sicut & in alijs quoque negocijs spiritualibus & articulis fidei, ex semetipsa, sine luce & ductu Spiritus sancti (quod illi ipsi nobiscum in scriptis à se editis, publicè fatentur & testantur) nihil omnino scit, intelligit,



aut comprehendit, ac ne potest quidem, ut supra Pauli testimonio ostensum est.

Cum igitur hanc naturalem lucem Rationis suæ in alijs Fidei nostræ Articulis non grauatim, ut decet, captiuam ducant in obsequium fidei & Domini nostri **IESU CHRISTI**, Et immutabili ac veraci Verbo Dei ita subijciant, ut soli illi honorem & gloriam indubitatae & immotæ Veritatis adscribant: Quæ nam obsecro causa est satis grauis aut euidentis, quòd lusciosæ illi & halucinatrici Magistræ in solo hoc Articulo de Cœna Domini, Iudicis ac Censoris partes, ac potestatem in scrutando, arguendo, examinando, interpretando omnia concedant ac permittant? Cum  
memi

meminerint hanc Cœnam in vni-  
 uersa Catholica Ecclesia Dei, inde  
 vsq; à tempore Apostolorum per  
 annos amplius 1500. ab omnibus  
 Doctõribus & Scriptoribus pijs  
 & eruditis, iudicatam & nomi-  
 natam fuisse admirandum & stu-  
 pendum **M Y S T E R I V M**,  
 Qua appellatione significare vo-  
 luerunt, non posse id Rationis no-  
 stræ luce, acumine aut sagacitate,  
 quantacunq; illa sit, exhauriri,  
 comprehendi aut explicari: Sed  
 oportere contra Rationis lucem  
 ex solis Christi verbis, simplicissi-  
 mè vt sonant intellectis, fide sola  
 agnosci & vsurpari.

Hoc vnicum argumentum,  
 etiamsi alia in promptu non es-  
 sent, mouere ac cohercere eos debe-  
 bat, ne Domini nostri **I E S V**  
 t 3 **CHRI.**

CHRISTI verba interpre-  
tando reformare audent, sed in  
sententia nativa relinquerent, cum  
intellectum hunc in Ecclesia Ca-  
tholica perpetuum fuisse norint,  
Et institutionem Cœnæ Dominicæ  
sciant unum esse ex postremis  
Christi actis & mandatis, quod  
quasi INSTRUCTIONIS  
loco Apostolis esse voluit, com-  
plectentis præcipua capita eorum,  
quæ paulò post in Pentecoste &  
deinceps, in toto orbe Terrarum  
publicè proferri, doceri, geri in  
Ecclesia, & denunciari ac offerri  
singulis Ecclesiæ membris ipsius  
nomine per Apostolos debebant.

At quis Regum aut Princi-  
pum est ita suarum rerum negli-  
gens aut facilis, qui misso Legato  
ad

ad alium Principem aut quemcun-  
 que sibi charum, in negotio aut re  
 ardua, quam accuratè geri, vel  
 sua, vel amici, vel vtriusque plu-  
 rimum intersit, hanc potestatem  
 faciat, vt Instructionem datam,  
 hoc est, præscriptam formulam ne-  
 gocij expediendi, haud dubiè graui  
 consilio & deliberatione Regis, à  
 Cancellario aut Consiliario inti-  
 mo, cuius præcipua est authoritas,  
 fides & sapientia, prudenter &  
 circumspèctè compositã, vel pror-  
 sus negligat, vel verba illius ali-  
 qua, suo arbitrio interpretetur aut  
 exponat, ex qua deinde Legati in-  
 terpretatione audaci, vel totum  
 negocium gerendum corrumpi, vel  
 alijs magnis incommodis, simulta-  
 tibus, bellis ac vastationibus causa  
 præberi posset?

Nec Iureconfulti aut Iudices politici, hæredi vlli ex Testamento succedenti, permittunt, vt aditurus hæreditatem, à verbis & littera Testamenti legitimè ab homine conditi recedat, aut verba Testamenti glosssematis interpretetur, inuertat, torqueat suo arbitrio, tam diu, donec intellectū exculpat talem, quo suam *πλεονεξίαν* et captationem insidiosam palliare & munire possit, Sicut & Paulus Apostolus eruditione multiplici & vsu rerum politicarum quoq; excellens, in Galatis cap. 3. inquit: Tamen HOMINIS confirmatum Testamentum nemo spernit, aut superordinat.

Est autem ex verbis Cœnæ manifestum, Christum in institutione Sacramenti huius, quasi Testamētum  
tum

tum suum condere voluisse, sicut  
 expressè eam in exhibitione Calicis  
 nominat, & datis certis & perspi-  
 cuis mandatis, constituere, qualem  
 post discessum suum ex hoc mundo  
 & conuersatione cum hominibus  
 visibili, bonorum suorum distri-  
 butionem in Ecclesia esse ac fieri  
 velit, in quorum perceptione certa  
 salus Ecclesie vniuersae sine vlla  
 dubitatione continetur.

Quapropter & Christus sapi-  
 entia infinita excellens, haud du-  
 biè ardentibus animi motibus, &  
 singulari cum circumspectione ac  
 consideratione, Verba sua expres-  
 sè, distinctè, emphaticè ac seriò,  
 imò & gestibus singularibus ad-  
 hibitis pronunciauit, vt qui hoc  
 modo, sicuti iam pronunciaentur,

& non aliter infigi animis ea,  
 scribi, propagari & intelligi vel  
 let. Eaque causa est sine dubio,  
 quod tam certo & dulci Euange-  
 listarum & Pauli consensu diuer-  
 sissimis temporibus ac locis ea ver-  
 ba scripta & consignata sint, vt  
 non sine ingentis consolationis sen-  
 su, aut sine admiratione aspici con-  
 sensus ille possit.

Qua igitur fronte aut iusto  
 prætectu nos miseri, hebetes, ac in  
 rebus diuinis cæci Vermes, in Te-  
 stamentum & voluntatem vlti-  
 mam tanti Domini, fatua & cu-  
 riosa Ratione nostra irruere au-  
 demus, & præcipuis illius verbis  
 pro arbitrio nostro eum sensum  
 affingere, qui captui nostro facilis,  
 probabilis & concinnus esse videa-  
 tur? Nullam profectò aliam cau-  
 sam

sam audaciæ nostræ prætere  
 possumus, quæ illam, qua Thomas  
 quoque Apostolus incredulitati suæ  
 excusationem quærebat, Quod  
 ideo resurrectionem Christi crede-  
 re non posset aut vellet, Quia Do-  
 minum ipsum nondum oculis suis  
 vidisset, & manibus ac digitis suis  
 nondum palpasset.

Eandem, si verum fateri vo-  
 lunt, præcipuam causam habent hi,  
 qui in doctrina de Cæna Domini,  
 Rationis suæ ductum sequuntur,  
 quod præsentiam Corporis Chris-  
 ti in Cæna affirmare aut credere  
 ideò non possint, nec velint, Quia  
 Rationis suæ luce et sapientia com-  
 prehendere non possint, quomodo  
 Christus Corpus suum verum, à  
 nobis assumptum, & pro nobis tra-  
 ditum in mortem, & Sanguinem  
 suum



suum effusum pro nobis in remissionem peccatorum, nobis singulis, tempore eodem, diuersissimis in locis manducandum et bibendum exhibere possit?

Sed audiant, quotquot illam Thomæ incredulitatem imitari volunt, quid illi ipsi Rationis Sæctatori Christus dicat & præcipiat: Iohan: 20. Noli esse incredulus, sed fidelis. Item: Quia uidisti me Thoma, credidisti. Beati qui non uiderunt & crediderunt. Quo grauissimo præcepto omnes nos monet Dominus, Verbo adhaerendum & innitendum esse, quantumuis, quæ in Verbo traduntur, sensibus externis aut Rationis etiam captui ἀκατάληπτα & absurda esse videantur.

Eodem fermè modo reprehendit

dit & repellit idem Dominus ser-  
 uos I A I R I Principis Synago-  
 gae in Capernaum, Marci 5. qui  
 obuiam ex domo ipsius aduolantes  
 conabantur Herum à Christi ver-  
 bo & promissione abducere, &  
 extinguere in eo lucentem vtcumq;  
 fiduciam de omnipotentia, bonita-  
 te & veritate huius Domini, con-  
 ceptam ex doctrina ipsius & con-  
 spectu mirandarum sanationum  
 alijs praestitarum, & in hoc ipso  
 itinere confirmatam liberatione  
 miserrimae Mulieris à duodecim  
 annorum continuo sanguinis pro-  
 fluio. Hanc inquam fiduciam  
 et spem consequendae opis, vt Hero  
 eximant, hoc tristi eum nuncio, ad-  
 dita quadam ex postulatione, ado-  
 riuntur: FILIA tua iam mor-  
 tua est, Quid ultra uexas Mas-  
 gistrum;

gistrum: Quasi dicerent: Desi-  
 ne istum bonum virum defatigare  
 ulterius frustra, cum iam factum  
 fieri infectum amplius non potest.  
 Nimis diu in itinere commoratus  
 est. Tunc venire debuisset, cum  
 spes auxilij adhuc aliqua esse po-  
 tuit. Iam planè conclamatum est.  
 Fieri potest, vt hic sanctus Vir in  
 morborum curationibus & alijs  
 difficultatibus amoliendis, sit &  
 beneficus, & propter singularia  
 dona DEI foelix ac potens. Sed  
 Mortuos in vitam reuocare, non  
 est hominis opus. Quare benignè  
 dimisso hoc Doctore, para te ad  
 patientiam in luctu moderatè fe-  
 rendo, & cogita de exequijs ho-  
 norificè instruendis. Filiae, & cons-  
 firmanda Coniuge tua efficaci ali-  
 qua consolatione, quæ ob doloris  
 acerâ

acerbitatem & impatientiam in  
vitae versatur discrimine.

Significat autem Iairus Illu-  
strem vel illustratum & illustran-  
tem alios, per quem designatur  
Humana Ratio.

Serui verò ex huius Iairi do-  
mo excurrentes, eleganter pingunt  
nobis cogitationes naturales, quae  
ex domo RATIONIS nostrae  
olim quidem ante lapsum, illustri  
& fulgentissima, nunc verò tri-  
stissimis tenebris oppleta, magnis  
clamoribus & cum impetu occur-  
runt nobis, quando Christum Dux-  
cem sequi, eius lateri adherere,  
eius Verbum audire, eius promiss-  
siones fide amplecti, & fiducia bon-  
nitatis, liberationem ab eo petere  
cepimus. Haec cogitationes plae-  
rumq; auellere nos à Christo, & de-  
ducere

ducere domum nostram conantur, ut ibi monstrent nobis mortuam puellam, hoc est, ut ostensa rei, quam petimus, impossibilitate vel absurditate iuxta Rationem, fidem prorsus extinguant, & petitionem liberationis aut beneficii consequendi nobis vniuersam excutiant.

Sed audi, quomodo Dominus noster IESVS CHRISTVS consternatum hoc nuncio Patrem, & labascentem eius prius excitatam fiduciam, erigat denuò, & hos clamorosos ac importunos Seruos repellat, inquiens: **NOLI TIME RE**, quasi dicat: Desinite Hero vestro obstrepere sermonibus vestris, eatenus quidem veris, quòd puellam mortuam iam esse nunciant: Sed ibi falsis & fallens

fallentibus, quòd iudicatis, me pro-  
 pterea non esse adducendum ad Fis-  
 liam, qui id solum pro vero & pos-  
 sibili habetis, quod sensus ac Ræ-  
 tio vestra vobis dicit aut fieri posse.  
 Me autem & potentiam meam  
 ignoratis, quam tu LAIRE ex-  
 pertus es cum aliàs, tum etiam in  
 hac ipsa via, vbi vidisti sanari  
 miseram Mulierem, quæ citra ver-  
 bum vllum, aut impositionem ma-  
 nuum mearum, solo contactu fim-  
 briæ vestis meæ, à fæda & diutur-  
 na ægritudine liberata fuit: Qua-  
 re & tu **NOLI TIMERE:**  
**TANTUMMODO CREDE,**  
 hoc est, perge modo, sicut cœpisti,  
 mihi hunc honorem tribuere, quòd  
 supra vires & captum Hominum  
 facere aliquid, & re ipsa præsta-  
 re ac representare possim, quod  
 v verbis

verbis promisi me facturum aut daturum, quantumuis id Seruis domi tuæ natis, atque etiam tibi **I A I R O**, Rationem tuam sequenti, impossibile & absurdum videatur.

Sicut igitur **I A I R V S** repudiatis Seruis suis, & contemptis ipsorum clamoribus, ad Christum Dominum se conuertit, ac toto cordis nixu illius omnipotentie, veritati ac bonitati incumbit, præsertim & recenti miraculo, & hac tam serua voce Domini confirmatus: Noli timere, Tantummodo crede: Ita nos quoque in omnibus partibus Doctrinæ cælestis, imprimis verò in hoc Mysterioro sacratissimo niti ac fidere decet infallibilibus Verbis omnipotentis & veridici conditoris Cælestis hæc

nae huius, Filij Dei Domini nostri  
**IESV CHRISTI**, ut fa-  
 ciamus quod ipse mandat, & cre-  
 damus ea verissimè dari, quæ in  
 verbo suo expressit, et dare se pro-  
 misit.

Imò quotiescunq; ad aram ac-  
 cedimus, sumpturi sacratissimam  
 cum alijs Cœnam, cogitemus hunc  
 ipsum Dominum coram præsen-  
 tem in exhibitione rerum visibi-  
 lium, eadem verba, voce sua au-  
 ribus nostris ingerere: **NOLI**  
**TIMERE**, noli inquirere &  
 anxie disputare de Possibilitate  
 aut Impossibilitate, de Absurdita-  
 te aut Concinnitate, **TANTUM-**  
**MODO CREDE**, MIHI  
 fide, **MEO** Verbo insistito ac  
 innitere, **MIHI** eam tribue **PO-**  
**TENTIÆ & VERITA-**  
**TIS**



TIS laudem, quòd tibi vescenti  
 Panem visibilem, & bibenti Vi-  
 num naturale in Cœna iuxta meam  
 institutionem vsurpata, P O S-  
 SIM ac VELIM dare, &  
 verè præsens exhibeam, mandu-  
 candum & bibendum CORPVS  
 meum pro TE in Cruce tradi-  
 tum, & SANGVINEM  
 meum pro remissione TVORVM  
 peccatorum effusum, etiamsi id nec  
 sensus tui externi percipiunt, nec  
 Rationis tuæ lux modum, quo id  
 fieri queat, comprehendere & per-  
 uestigare potest.

Quapropter Fratres ac <sup>omnes</sup> ~~omnes~~  
 in IESV CHRISTO dili-  
 gendi, quem nobiscum Deum &  
 Hominem agnoscitis, & vt v-  
 nicum Mediatorem, Redempto-  
 rem, Iustificatorem ac Saluatorem  
 com-

communem nostrum firma fiducia  
 inuocatis, & parati estis, imò fa-  
 ctis ipsis testati estis, vos malle  
 quorumuis exiliorum misérias per-  
 ferre, atque adeo Sanguinem pro-  
 fundere, & corpora exquisitis sup-  
 pliciorum cruciatibus necanda scæ-  
 uiciæ inauditæ hostium Christi ex-  
 ponere: quàm Pontificias Idolatri-  
 as, contumeliosas in hunc Mediator-  
 rem, semel abiectas, iterum appro-  
 bare aut recipere: ferte obsecro  
 patienter me monentem ac hortan-  
 tem vos, vt sinatis maiore in pre-  
 cio & authoritate apud Vos esse  
 verborū Christi veritatem: quàm  
 incertum, obscurum, imò densissimam  
 caligine in rebus fidei oppres-  
 sum Rationis humanæ lumen, &  
 caueatis, ne illi nimium tribuentes  
 accedentes, & ipsi Vos decipias

mini, & deinceps alios infirmio-  
 res à vestra voce & authoritate  
 pendentes, in easdem alienæ inter-  
 pretationis verborum Christi te-  
 nebras vobiscum inducatis, quod  
 quàm graue sit, & difficile futu-  
 rum ijs, qui tractatæ ac propaga-  
 tæ doctrinæ filij Dei, & admini-  
 strati muneris sui, aliquando Do-  
 mino suo, qui pro suo arbitrio cui-  
 que certum numerum Talentorum  
 concredidit, rationem reddituri  
 sunt, intelligentes omnes diligen-  
 ter perpendant, eaque cogitatio  
 in nobis omnibus curam eam et sol-  
 licitudinem ac circumspeditionem  
 accendat & acuat, vt singuli di-  
 ligentissimè prouideamus, ac nos  
 ipsi examinemus, quomodo quisq;  
 in Messè et Vineâ Domini, in quâ  
 extrusus est, laboret: An cum  
 Chris

Christo Domino suo colligat, aut  
dispergat, An vllum, & quàm  
vtilem laborem impendat in edi-  
ficando Templo Domini, quod est  
Ecclesia.

Habemus sanè omnes (quod  
satis constat) vnicum ac commu-  
nem, & eum immotum ac viuen-  
tem Lapidem Angularem, precio-  
sum, probatum, & firmissimi fun-  
damenti loco positum: Dominum  
nostrum IESVM CHRIS-  
TVM, cui vtriq; post agnitio-  
nem Euangelij (Dei beneficio)  
superextruimus.

Nec quisquam nostrum eo est  
animo, vel furore potius incensus,  
vt moliatur hunc Lapidem Angu-  
larem semel positum, subvertere &  
abijcere, id quod Mahometistæ &  
aliqua ex parte Pontificij conan-

tur, quos perniciosos Destructores  
 potius quàm Aedificatores, tan-  
 dem horribiliter vicissim abijciet  
 & conteret Petra hæc scandali, &  
 Lapis angularis ab ipsis reproba-  
 tus & abiectus, Dominus noster  
**IESVS CHRISTVS.**

Nec de numero illorum velle-  
 mus esse vtriq̃, qui fundamentum  
 aliud ponere satagunt, præter id  
 quod positum est, quod est **CHRIS-  
 TVS IESVS.**

Nec vellemus annunciatione  
 Euangelij noui, & effiçtione Cor-  
 poris doctrine noui, & diuersi ab  
 eo, quod à Christo & Apostolis an-  
 nunciatum & Ecclesie traditum  
 est, Anathema & Maledictum  
 fieri. Quo in proposito, sicut Dei  
 beneficio hæctenus inter nos salu-  
 taris

taris consensus fuit, ita oramus  
Deum, ut in posterum constans  
sit & perpetuus.

Sed hoc etiam atque etiam per  
Deum omnes videamus, ac sollici-  
tè consideremus: quid quisque su-  
pra hanc Petram fundamenti, &  
supra Lapidem angularem, ædi-  
ficet aut extruat, quod ad altio-  
rem excitationem, ampliatio-  
nem, firmitatem, durabilitatem,  
cultum et ornatum Templi ac Do-  
micilij huius sacrosancti, in quo  
Deus & in hac vita, & postea in  
tota æternitate habitaturus est,  
necessarium ac commodum esse vi-  
deatur, Quodq; in igne aut tempe-  
statibus sæuis durare, & procellas  
Ventorum & imbrium impetus  
sustinere ac vincere valeat.

Hic mihi, inquam, benè ac dili-

genter, quisq; perpēdat, Aurūmne,  
 Argentū ac Lapidēs preciosos &  
 firmos: An verò Ligna, Lutum et  
 cœnum, Stipulas, et alia vilia fun-  
 damento illi imponat, aut ædificio  
 illinat, quarum rerum aliæ non  
 durant solum in igne, sed nitorem  
 quoq; et puritatem accipiunt: Aliæ  
 durant quidem, sed multò fiunt de-  
 teriores & viliores, quàm fuerunt  
 initio: Aliæ subitò & in momento  
 penitus conflagrant ac consumun-  
 tur, ita tamen, vt vel fumum cali-  
 ginosum ac ingratum, vel etiam  
 fœtorem perniciosum post se relin-  
 quant.

Hoc est, monemur hac simili-  
 tudine Paulina omnes, qui in Ver-  
 bi propagandi munere legitimè  
 Vocati versamur, vt labores no-  
 stros singuli obseruemus, & ope-  
 ram,

ram, studium ac diligentiam omnem nostram eò dirigamus, ut auditoribus nostris in docendo tradamus & inculcemus ea, quæ verbo Dei consona sunt, quæque certum, immotum, & non dubium in Verbo fundamentum ac testimonium habent, quæ sic tradita, et tali fundata robore, sola in igne tentationum consistere, & impetus quoscunq; sufferre ac sustinere possunt. Non tradamus aut pertinaciter urgeamus ea, quæ quidem captui Rationis nostræ & auditorum facilia, concinna & speciosa videntur, & aliquandiu doceri, defendi ac prædicari plausibiliter, splendidè & cum admiratione possunt: Sed cum vel ignis Verbi diuini, vel tentationum flammæ adhibentur propius, et inualescunt,

subitò



subitò enanescere, & stipularum  
instar consumpta, cum fumo dispa-  
rere solent.

Hæc fraternæ & candidæ ad-  
hortationis & commonefactionis  
loco superiorib: addere volui pro-  
pter eos, qui **DOCILES** sunt, Et  
ab infirmis, imò à fatuis ac insan-  
tulis, qui ipsi quoque quantumvis  
stulti, vera interdum dicere solent,  
vt Germanicum celebrat prouer-  
bium, fideles, & cum candore pro-  
positas commonefactiones recipere  
ac sequi non erubescunt. Quos in-  
super etiam oro atque obtestor pro-  
pter gloriam Dei, & propter sa-  
lutem ac tranquillitatem afflictis-  
simæ Ecclesiæ ac sponsæ Domini  
nostri **IESU CHRISTI**,  
cui officia omnia ad incolumita-  
tem eius profutura, omnes debe-  
mus,

mus, ut hanc commonefactionem  
 æquo, candido & mansueto animo  
 accipiant, Et rerum harum ma-  
 gnitudinem penitus considerantes  
 & expedientes, se interea conti-  
 neant, ne nouam illam opinionem  
 suam scriptis publicis, aut alijs  
 sermonibus priuatis teneræ ætati,  
 aut plebeculæ rudi instillent ac  
 disseminent, Etiam si semel con-  
 ceptam illam plausibilem & Ra-  
 tioni blandientem imaginationem  
 tam subito abijcere ipsi non pote-  
 runt. Id enim si impetrabimus  
 ab ipsis, ut secum, quæ sentiunt, re-  
 tineant, nec quæsitis ubique oc-  
 casionibus disputationum, rudibus  
 & imperitis alijs ea obtrudant:  
 non grauati eos, ut in plerisque  
 Articulis doctrinæ cælestis nobis  
 consentientes, feremus patienter,  
 & ea

Et ea qua par est, humanitate et  
 officiorum debitorum cultu prosequemur,  
 Donec et ipsorum corda clementissimus  
 Deus aliquando illuminet, ut potius  
 verbis veracibus Redemptoris ac  
 Domini communis nostri, IESU  
 CHRISTI, fide simplici contra Ratio-  
 nis suae oblocutiones credant,  
 quam ut huius ductui obtemperantes,  
 aliquid potentiae ac veritati  
 eiusdem Domini derogare velle  
 videantur.

Ceteris vero, qui in sententia  
 sua pertinaciter perseverare, eamque  
 scriptis defendere ac spargere  
 passim et propagare decreuerunt,  
 Aut etiam hanc meam ieiunam ac  
 impolitam declarationem sententiae  
 nostrarum Ecclesiarum oppugnare  
 aut refutare conabuntur,  
 nihil

nihil hoc tempore aliud quod dicam habeo, quàm vt primum præmoneam ipsos, ne illum laborem & molestiam mea causa sumant, sed tempus illud in operas alias magis vtilis ac necessarias conferant. Neque enim animus mihi est post expositam semel sententiam confessionis meæ, cum quôquam deinceps contentiosè disceptare aut rixari, sed decreui, Deo auxiliante, perseuerare in Hypotyposi ac formula illa doctrinæ sanæ, quæ hætenus in Ecclesijs & Scholis harum regionum de hoc Articulo recepta & vsitata fuit longo tempore, quæque in conuentibus Imperij & colloquijs multis repetita, ac Confessionis loco proposita fuit. Præcipuè vero sicut comprehensa & explicata est in Confessione

fessione Augustana Anni 1530.  
 in Apologia Confessione addita,  
 in Articulis Schmalcaldicis, in  
 Catechismis Lutheri, in Corpore  
 doctrinae, in Formula concordiae  
 facta Vitebergae cum Doctores  
 & Concionatoribus Urbium su-  
 perioris Germaniae Anno 1536.  
 & alijs consentientibus Ecclesias  
 rum & Scholarum nostrarum, &  
 his coniunctarum Confessionibus  
 & scriptis, quae nituntur ijs fun-  
 damentis, quae supra enumerata  
 sunt.

Quod si quis tamen non ac-  
 quiescens hac mea praemonitione  
 & contestatione, omnino sibi mo-  
 derari non poterit, ut publica in-  
 sectatione & impugnatione huius  
 scripti supersedeat & abstineat:  
 eum rursus de hoc quoque praemo-  
 nebo,

nebo, me non anxie quæsiturum  
 arma, quibus me aduersus ipsum  
 tuear, sed vsurum hac vnica via,  
 qua etiam meam ipse Rationem  
 multa mihi in cogitatione de præ-  
 sentia Corporis Christi in Cæna,  
 obgannientem, repello ac retun-  
 do, vt eum ablegem ad Autorem  
 huius Cænae, ad exposcendam ab  
 ipso rationem, cur his verbis in  
 Cæna vsus sit, quæ Absurditatem  
 simul cum Impossibilitate continere  
 videantur. Vbi si mihi odiose  
 molestus esse perget, sequar exem-  
 plum Pythagoreorum, qui tanti  
 faciebant sui Præceptoris dicta &  
 dogmata, vt quantumuis nudè  
 proposita, sine adiectis rationibus,  
 quibus muniri ea aduersus aliorum  
 obiectiones potuisset ac debuissent,  
 tamen pro oraculis haberent, ijs-  
 que

que indubitanter assentirentur, &  
 si quis aliquid contrà opponeret,  
 aut rationes dictorum Pythagoræ  
 exposceret, solo hoc dicto sese tue-  
 rentur: ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ. Ι Π Σ Ε  
 DIXIT, quo simul & reueren-  
 tiam suam erga Præceptorem, &  
 credulitatem suam testatam facie-  
 bant, qua sibi persuaserant, hunc  
 tam excellentem doctum Virum  
 errare non posse, ideò nulli ad  
 reddendam rationem dogmatum  
 suorum obligatum esse. Quo dicto  
 etiam simul liberabant se ab omni-  
 bus disputationibus & molestia  
 contendendi cum ijs, qui doctri-  
 nam Pythagoræ in dubium voca-  
 bant, quos ablegabant hoc dicto  
 ad ipsum Magistrum, qui compul-  
 latus sua dogmata satis perspicuè  
 ac firmiter esset declaraturus ac  
 defensurus,

At

At in institutione Cœnæ huius Is, qui hæc verba profert, non est Pythagoras, Socrates aut quisquam eorum, qui unquam summæ sapientiæ & peritiæ, quanta in hominem cadere potest, laudem obtinuerunt, Ac ne quidem diuino Spiritu repletus Propheta aliquis aut Patriarcha, Imò ne quidem Angelicus Spiritus, totus sapientia fulgens: Sed Filius Dei, æterni Patris coeternum Verbum, Imago & Sapientia, idemq; Filius Hominis, Dominus noster  
**IESVS CHRISTVS:**  
 qui verissimè de se solo dicere potest: **DATA EST MIHI OMNIS POTESTAS IN COELO ET IN TERRA.**

De quo verè dici potest, non



tantum: IPSE DIXIT,  
 Ergo verum, certum, indubi-  
 tatum est: Sed etiam, vt Psal-  
 mus 33. inquit: IPSE DI-  
 XIT, ET FACTA SVNT,  
 IPSE MANDAVIT, ET  
 CREATA SVNT. Hoc est,  
 qui non tantum verè enunciare po-  
 test ea, quæ fuerunt talia, aut nunc  
 sunt: sed eam potentiam habet,  
 vt cum quid dicit & fieri vult,  
 quod prius non erat, id iam fiat &  
 sit, modo sibi soli possibili, imò fa-  
 cili, Creaturæ autem omni impossi-  
 bili, & Rationi omni imperuesti-  
 gabili.

Vt cum de Lazaro iam sepul-  
 to, Iohan: 11. & de Puella iam mor-  
 tua, Matth: 9. inquit: Lazarus  
 amicus noster dormit. Item,  
 Non est mortua Puella, sed  
 dormit.

dormit, *Etiam si humani sensus  
& Ratio ibi aliud nihil, nisi vita  
cassum & immobile cadauer perci-  
piunt, tamen Vtriusque mors ve-  
ra & naturalis, coram ipso nō mors  
sed somnus est, quem vno Verbo  
pellit, & vitam tam facile cada-  
ueribus restituit hac vnica voce:  
Lazare veni foras, & : Puella  
dico tibi surge, Marci 5. Quam  
facile est hominem naturali somno  
oppressum, denuò excitare.*

*Cum igitur hic eiusmodi ha-  
beamus Oratorem, qui infinita sa-  
pientia & potentia ornatus, om-  
nia factō ipso complere potest,  
quæ verbo suo promittit, multò  
iustius & tutius insistimus ac tues-  
mur nos verbis huius tanti Magi-  
stri, quàm Pythagorici sui Præ-  
ceptoris dogmatibus.*

Quare liceat & certè licebit  
 mihi hoc dicto, *αὐτὸς ἔφα*, à me remo-  
 uere & excutere omnia obiectionum  
 tela, & oppugnationum ictus  
 eorum, qui aut huius Domini Cæ-  
 nam mutilant, & ad prorsus alie-  
 nos vsus transferunt, id quod  
 Pontificij contra expressissima  
 Authoris ipsius verba sceleratè  
 & impiè fecerunt:

Aut doctè excogitatis & Ra-  
 tioni consentaneis interpretationi-  
 bus, veram præsentiam Corporis  
 Christi ex Cæna auferunt, &  
 hunc, quem profitemur, simplicem  
 verborum intellectum, Troporum  
 varietate euertere conantur.

His omnibus nihil efficacius  
 obuertere possum ad tuendum me-  
 met,

met, quàm hunc Clypeum, geren-  
 tem hæc duo verba, αὐτὸς ἔφα, cum  
 commonefactione omnium, vt pri-  
 orem voculam diligenter conside-  
 rent, quis hîc sit ille ΑΥΤΟΣ, qua-  
 lis, quàm potens, sapiens, efficax  
 Persona, quæ verba Cænæ effata  
 est, ad quos ea, de qua re, quo tem-  
 pore, ad quem finem protulerit,  
 quæ nos ipsi non excogitauimus,  
 sed sicut & Paulus sese munit,  
 Ab IP SO DOMINO acce-  
 pimus.

Quòd si obijcient: Frustra nos  
 ablegas ad authorem Sacramenti  
 huius Christum, per istud tuum  
 αὐτὸς ἔφα, neque enim negamus aut  
 negauimus vnquam, hæc verba à  
 filio Dei Domino nostro IESU  
 CHRISTO prolata esse: Sed  
 de sensu eorum nobis tecum certa-

men est, hunc negamus te verum  
 & conuenientem menti Authoris  
 tenere ac propugnare:

Eis respondebo, ne hunc qui-  
 dem etiam intellectum verborum  
 Christi me primum excogitasse,  
 aut in hæc verba prius inauditum  
 importasse: sed talem inuenisse tra-  
 ditum, & magno consensu com-  
 probatum, vt verbis Christi ma-  
 ximè consentaneum (si circum-  
 stantia ritè perpendantur) ab  
 Euangelistis & Paulo, qui inter  
 se dulci consensu declarant: ab A-  
 postolis ipsis & eorum Discipulis,  
 quod ex testimonijs præcipuorum  
 veterum & puriorum Scriptorum  
 in Ecclesia, & ex consensu totius  
 Ecclesiæ ostendi potest, verba  
 Christi, quibus Cœnam ordinauit,  
 sic accepta & intellecta esse, vt  
 Panis

*Panis & Vinum non pro meris  
 Symbolis ac Tesseris Corporis ac  
 Sanguinis absentis haberetur, sed  
 aliquid preciosius ibi in Cœnæ My-  
 sterio, præsens videlicet Corpus  
 & Sanguis Christi verè accipi  
 crederetur, Neque nos ab hac sen-  
 tentia abducere sinimus, dissimi-  
 les modos loquendi & diuersas de-  
 clarationes præsentiae Corporis  
 Christi, vbi Veterum Scripto-  
 rum aliqui hunc, alij alium  
 præsentiae modum suis auditori-  
 bus proponere voluerunt (donec  
 tandem ad Transsubstantiatio-  
 nem & annihilationem Panis  
 peruentum est) Omnes tamen in  
 eo fermè consentientes, aliquid  
 amplius & preciosius, quàm Pa-  
 nem & Vinum, ore accipi in sacra-  
 tissima Cœna Dominica, quam*

propterea tanta veneratione & reuerentia omnium dignam iudicauerunt, & omnibus pijs tantopere commendarunt.

Eundem intellectum verborum Christi etiam retinuerunt cum antiqua Ecclesia, & professi sunt in publicis Scriptis suis, & omnibus Imperij conuentibus, & alijs publicis congressibus Reuerendi ac pij Praeceptores nostri, sanctae memoriae, quem & nos merito tuemur, & Dei beneficio profitebimur, dum viuimus, semper benignissimo Domino nostro eam laudem potentiae, sapientiae ac veritatis tribuentes, quod & sciat, quibus verbis quidq; efferre debeat, & possit ea, quae dixit & promisit, facere & representare modis sibi facilibus, à nobis

nobis reuerenter fide accipiendis,  
non Rationis curiositate perscruta-  
tandis.

Ad eum Dominum, et ad eius  
Discipulos, & consensum Ecclesie  
ac Præceptorum nostrorum et ipse  
prouoco, & ablego omnes, qui hac  
simplici verborum iuxta proprie-  
tatem interpretatione non acqui-  
escunt, & me propterea in certa-  
men prouocare audebunt, quos ta-  
men optârim nobiscû, imò cum tot  
fide dignis, quos sequimur, consen-  
tientes de hoc simplici & vero ver-  
borû Christi intellectu, et fraternâ  
beneuolentia ac pietate coniunctos,  
stare & pugnare contra horribiles  
prophanationes et abusus huius sa-  
cratissimæ Cœnæ, quos semel inue-  
ctos in Ecclesiam à Pontificibus,  
Concilium Episcoporum & Mo-  
nacho



nachorum hoc tempore congrega-  
torum Tridenti, non modò palliare  
re & excusare, sed quales fuerunt,  
pro diuinis cultibus tueri & defen-  
dere contendit, & multis in locis,  
præcipuè verò in quondam floren-  
tissimo Regno Galliarum, Ponti-  
ficij gladio & flammis, & omni  
specie crudelitatis & immanitatis  
stabilire, & vbi aboliti sunt, re-  
stituere conantur.

Oro autem cum omnibus pijs  
& amantibus ac magnifacientibus  
Verbum diuinitus patefactum,  
in toto terrarum orbe coniunctis  
& ardentibus precibus, æternum  
filium Dei, vnicum & potentissi-  
mum Salvatorem ac Protectorem  
nostrum, authorem huius admis-  
sæ & saluberrimi Mysterij,  
Dominum nostrum I E S U M  
CHRISTUM

CHRISTVM, vnà cum æter-  
 no Patre & coæterno Spiritu san-  
 cto, vnum & verum, & viuum  
 Deum: Vt adflictissimæ Ecclesiæ  
 huius temporis, & tristissimis mo-  
 dis laceratæ ac contristatæ, pater-  
 na <sup>soçy</sup> misereatur, & vulnera  
 eius sanet, & corda docentium in  
 illa certaminum vehementia miri-  
 ficè exulcerata & inflammata le-  
 niat, & ad concordiam ipsi pla-  
 centem, ac salutarem Ecclesiæ fle-  
 ctat ac vniat: erudiat etiam ac in  
 viam veritatis reducat eos, qui  
 aliquam opinionem alienam ab  
 ipsius verbo imbiberunt. Pertinaces  
 verò & insanabiles per-  
 secutores & hostes sincerae do-  
 ctrinae Euangelij, potenter repri-  
 mat & compescat, omnibus deni-  
 que cum Doctõribus, tum audito-  
 ribus

ribus pijs efficacia Spiritus sui  
 syncerum Verbi sui intellectum,  
 incrementum Fidei ac studium  
 obedientie in pia concordia lar-  
 giri & augere dignetur, vt o-  
 mnes simul in hac vita, ipsius veri-  
 tatem, omnipotentiam, iusticiam,  
 bonitatem ac misericordiam indies  
 magis ac magis ex Verbo ac Sa-  
 cramentis agnoscamus, & fide am-  
 plectamur, & post hanc vitam in  
 eterna ipsius consuetudine, cum  
 omnibus Angelis & Beatis homi-  
 nibus reipsa percipiamus, & eter-  
 na gratitudine ac prædica-  
 tione celebremus,  
 Amen.

Witebergæ excuſ

DEBAT LAVREN

tius Schwenck.

1563.



Wittichers Creek

and other

mountains

of the

mountain

range

of the

mountain

range

